


1861  
D. H. Dales  
1861

A  
4  
271



10 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16

G-I-I.

A 081 May

12


1-26

RECEIVED ALMERE  
GRANADA

A

47

271



G-I-I.

A 081 Man

12


1-26

GOVERNMENT OF THE  
PEOPLES' FRIENDLY REA  
GHANA

A

47

271



C.D. 081

FRANC. XAV. MANNHART  
SOCIETATIS JESU SACERDOTIS  
**BIBLIOTHECA**  
**DOMESTICA .**  
**BONARUM ARTIUM**  
AC ERUDITIONIS  
**STUDIOSORUM USUI**  
INSTRUCTA ET APERTA.  
**OPUS**  
SECULI NOSTRI STUDIIS AC MORIBUS  
ACCOMMODATUM.  
**TOMULUS IV.**  
DE RE DIPLOMATICA, DE QVE PHILOSO-  
PHIA NATURALI ET MORALI.

R  
1325



CUM PRIVILEGIO CESAREO.

---

AUGUSTÆ VINDELICORUM,  
SUMTIBUS MATTHÆI RIEGER, BIBLIOP.  
MDCCCLXII.

*Leviel*

~~8281~~



EPITOME  
*LIBRI VII.*  
DE  
RE DIPLOMATICÆ.

---

CAPUT I.  
INDOLES ET HISTORIA REI  
DIPLOMATICÆ.

§. I.

*Etymologia & Encomium.*

I.

*Origo nominis Diploma a tabulis seu  
literis ad publicum cursum conces-  
sis: Postea nomen hoc ad Edicta &  
Mandata Principum transiit: demum  
ad instrumenta publica. Diplomatis  
definitio ex Lazio & Budæo.*

\* 2

II.

## *Epitome Libri VII.*

### II.

*Emolumenta, quæ ex diplomatibus  
obveniunt: primum ad intelligendas  
multas antiquitates: secundum ad fidem  
faciendam in judiciis. Majorum no-  
strorum diligentia in custodiendis diplo-  
matibus.*

### §. II.

## *Historia rei Diplomaticæ.*

### III.

*Ratio firmandi fidem publicam apud  
Hebreos: per juramentum: per testes:  
per chirographa & tabulas. Publica  
negotia gravioris momenti apud Roma-  
nos in tabulas æreas relata. Pauca ho-  
rum fragmenta supersunt.*

### IV.

*Germania diplomatum valde fæcun-  
da. In hac pleraque pacta & conven-  
tiones scripto factæ fuerunt, ita sta-  
tuentibus legibus Alemannicis. Plura  
sæpe*

## *Epitome Libri VII.*

*Sæpe circa idem negotium diplomata  
confecta sunt. Formulæ diplomatum  
& confirmationum.*

## V.

*Jus Latinum in Germaniam pene-  
travit circa finem Seculi XV. Hoc in-  
troducēto deinceps modica fuit cura ar-  
chivorum & diplomatum. Major esse  
cœpit ad finem Seculi XVI. Studium  
Eruditorum, quo Tabularia & Scri-  
pturas antiquas investigarunt. Eites  
variæ circa diplomata exortæ, quarum  
aliquæ in medium proferuntur.*

## VI.

*Triplex classis scriptorum de re Di-  
plomatica: prima eorum, qui sparsim  
edendo aliqua diplomata initium fece-  
runt. Secunda illorum, qui vastis vo-  
luminibus ea in lucem protraxerunt.  
Tertia, qui ex instituto variarum na-  
tionum & personarum diplomata col-  
legerunt.*

## *Epitome Libri VII.*

### VII.

*Primus qui rem diplomaticam rite tractare aggressus est, fuit Papebrochius S. J. occasionem præbente colloquio cum Alexandro VII. Pontifice, quod totum refertur. Mabillonius Papebrochii lucubratione excitatus celebre opus de re Diplomatica composuit. Literæ Papebrochii ad Mabillonium. Judicium Mabillonii de Papebrochio circa studium Diplomaticum. Ludevvigii crisis intemperans, & sibi contradicens adversus Papebrochium & Germonium illius defensorem.*

## *C A P U T II. SCRIPTURA VETUS.*

### §. I.

#### *Materia veteris scripturæ.*

### VIII.

*Magna singulis pene seculis fuit diversitas literarum & scripturarum. Materia, in qua facta fuit olim scri-*

## *Epitome Libri VII.*

*scriptura, erat triplex: Membrana,  
Philyra, Charta. Describitur unaquæque.  
Diplomata pleraque in membra-  
nis scripta fuerunt: epistolæ vero &  
chirograpba in chartā.*

### §. II.

## *Characteres veteris scripturæ.*

### IX.

*Primi apud Romanos characteres  
erant puri, & nitidi. Varia classis  
characterum: uncialium, cubitalium,  
trabalium, semiuncialium, minuto-  
rum. Characteres Romani a barbaris  
valde corrupti, nunc rursus restituti.  
Scriptura Romana & triplex illius ge-  
nus. Scriptura Gothica, Longobardica, &  
Franco-Gallica: item Anglo-Saxonica,  
& Germanica. Harum singularum  
alphabetum, characteres, & exempla  
proponuntur.*

*Epitome Libri VII.*

§. III.

*Forma scribendi.*

X.

*Orthographia veterum secundum plerasque alphabeti literas.*

XI.

*Interpungendi varius modus: primo per singulos versus: tum per distinctionem, subdistinctionem, & medianam: denique per commata, colla, & puncta. Veteres Jurisconsulti ad finem Codicium addebant summam versuum. Alcuinus sub Carolo M. commendat discipulis observantiam interpunktorum.*

XII.

*Voces breviate (vulgo abbreviations) fiebant triplici modo, vel per notas, vel per literas, vel per utrasque. Notæ Tironis, quibus integræ voces significabantur: has in Codicibus & Instrumentis Juridicis adhiberi vetuit Justinianus Imp. Sæpe una vel duobus aut*

## *Epitome Libri VII.*

*aut tribus literis integrum vocabulum fuit expressum: cuius rei exempla proponuntur. Alia veterum syncopandi ratio, diversis seculis diversa.*

## **XIII.**

*Ordo & modus scribendi apud Veteres. Libri Ostrographi & Rotuli. Scriptio vel per integrum lineam rectam, vel per columnas. Clausulae librorum: Explicit liber feliciter &c. Varia & pretiosa ornamenta literarum & volum. Compacturæ.*

## **CAPUT III.**

### **NOTÆ ANTIQUITATIS SCRIPTURARUM.**

#### **§. I.**

*Scripturæ veteres secundum seriem seculorum.*

## **XIV.**

*Usque ad Seculum V. tenuit Romana scribendi methodus. A Seculo V. invaluerunt literæ Gothicæ aucto-*

## *Epitome Libri VII.*

*re Ulphila Gothorum Episcopo. Post  
medium Seculi VI. scriptura Longobar-  
dica. Seculo VII. prodierunt scriptu-  
rarum compendia & abbreviationes  
vocum. Seculo VIII. & IX. adparuit  
manus inscribendo tremula, & literæ  
flammeæ. Seculo X. & XI. characte-  
res minores & crassiores deprehendun-  
tur. Seculo XII. & XIII. literæ gran-  
diiores & nitidiores, sed brevia & voces  
satis multæ. Seculo XIV. Scriptura  
viguit perquam obtusa, crassa, & pressa  
cum innumeris abbreviationibus. Se-  
culo XV. sensim emendata fuit, &  
pristino nitori restituta usque ad Secu-  
lum XVI.*

## §. II.

### *Notæ antiquitatis aliæ.*

## XV.

*Duplex via ad investigandam anti-  
quitatem. Prima nota & communis  
omnibus est character scripturæ: Ini-  
tium*

## *Epitome Libri VII.*

*tium & finis variarum scripturarum.*  
*Altera nota est distinguendi seu inter-*  
*pungendi ratio : varius apud veteres*  
*interpungendi modus. Tertia est or-*  
*thographia. S. Hieronymus primus*  
*sacros codices interpunctis distinxit.*  
*Quarta ex litera i petitur.*

## **XVI.**

*Eundo per singula secula ostenditur*  
*diversitas characterum & scriptionum,*  
*ac singulares cuiuslibet seculi notæ pro-*  
*feruntur a Seculo V. usque ad Seculum*  
*XVI.*

## **XVII.**

*Multiplex difficultas discernendi æta-*  
*tem scripturarum, & caussæ hujus*  
*difficultatis, ac modus discernendi.*  
*Singularis est scriptura Psalterii.*

*Epitome Libri VII.*

**CAPUT IV.**

**NATURA ET INDOLES  
DIPLOMATUM.**

§. I.

*Varia illarum conditio.*

**XVIII.**

*D*efinitio diplomatum, & divisio in literas patentes Regales, Pagenses, & Ecclesiasticas: chartæ Precariæ & Præstariæ: Præcepta, Indiculi, Placita, Tractoriæ, Descriptiones, & Panchartæ.

**XIX.**

*Archivorum & Tabulariorum usus antiquissimus apud Hebreos, Romanos, aliasque nationes: atque a primis Ecclesiæ temporibus. Multa perierunt bello, vel flammis absumpta. Archivum Romanum.*

§. II.

## *Epitome Libri VII.*

### §. II.

## *Facies exterior & interior Diplomatum.*

### XX.

*Facies exterior.* Diplomata habent aliquid commune omnibus, & proprium singulis. Scriptura diplomaticum in plurimis differt ab ea, quæ Codicum est.

### XXI.

*Facies interior diplomaticum.* Certa fuit cuivis ævo scribendi ratio. Stilus diplomaticum valde incultus tum in vocibus, tum in sententiis. Triplex hujus rei cauſſa 1. idiotismi nationum. 2. vulgaris usus sermonis. 3. Notariorum formulæ.

### §. III.

## *Regulæ pro recto circa diplomata judicio ferendo.*

### XXII.

Diplomata non pauca, sicuti numismata, falsa esse deprehenduntur. Oc-

## *Epitome Libri VII.*

*casiones malarum hac in re artium & fraudum: Remedium lacera vel deperdita reficiendi. Vidimatio diplomatum quid sit. Pœnæ in falsarios latæ.*

## **XXIII.**

*Tres falorum diplomatum species:*  
1. *Refecta.* 2. *Adulterata.* 3. *Proprie falsa.* *Discrimen inter falsa & interpolata.* *Tres modi interpolandi diplomata.* *Stili barbaries non obest integritati diplomatum.*

## **XXIV.**

*Octo Regulæ ad discernenda vera diplomata a falsis. Quid Actum & Datum?*

## **XXV.**

*Elegans Capitulum, e Decretalium libro secundo depromtum, quo tum cura inquirendi in veritatem diplomatum jam olim exercita, tum rigidum eorum examen, tum variae fraudes, que hoc in negotio contingunt, graphice exponuntur. Fraudes, quæ in Diplomatibus committi possunt.*

*Epitome Libri VII.*

*CAPUT V.*

*OECONOMIA DIPLOMATUM.*

§. I.

*Invocatio, Inscriptio, Expositio  
causarum, & Enumeratio bonorum.*

*XXVI.*

*Partes diplomatis exhibentur in com-  
pendio ex scriptore Anonymo Secu-  
li IX. Diversæ formulæ Invocatio-  
num. Inscriptiones variæ cum titulis  
Imperatorum, Regum, Principum &c.  
Mos inscriptionis a Sede Apostolica usur-  
pari solitus. Origo tituli Servus Ser-  
vorum Dei. Tituli, quibus Papa ho-  
norat tum Præfules Ecclesiasticos, tum  
Principes seculares. Expositio caussa-  
rum, quæ ad beneficium concedendum  
movent. Diploma Caroli Calvi conces-  
sum Monasterio Compendiensi. Diplo-  
ma Caroli M. concessum Abbatii S. Dio-  
nysii. Enumeratio bonorum & jurium:  
eius formulæ.*

§. II.

*Epitome Libri VII.*

§. II.

*Clausula, subscriptio, sigillum,  
chronologia.*

**XXVII.**

*Clausula Diplomatis complectitur  
tum pœnas ac minas, tum mentionem  
subscriptionis & sigilli. Pœnæ contra  
diplomata agentium vel sunt multa in  
ære, vel anathema, vel imprecatio, vel  
hæc omnia simul. Variarum clausu-  
larum exempla. Subscriptio diploma-  
tis, ejusque formulæ. Signum crucis  
additum subscriptionibus: hujus rei origo.  
Monogrammata quid sint, & qualia in  
Diplomatibus & Bullis. Quinam sub-  
scribere diplomata soliti fiterint. An-  
nuli usus multiplex apud veteres: etiam  
ad signandas publicas literas adhibebatur.  
Sigilla diplomatica & Bullarum. Chro-  
nologia diplomatica tres partes compre-  
hendit: 1. Annum & diem. 2. Indi-  
ctionem. 3. Tempus regimini. De  
vario annorum computo.*



# LIBER VII.

## DE RE DIPLOMATICA.

---

### CAPUT I.

INDOLES ET HISTORIA REI  
DIPLOMATICÆ.

#### §. I.

*Etymologia & Encomium.*

#### I.

**E**ousque progressum est rei literariæ magis magisque promovendæ ex colendæque studium, quo hodie totam fere Europam flagrare vides mus, ut e Priscorum libris impigro labore conquisita omnis generis eruditione non contentum, etiam chartas, tabulas,

BIBLIOTH. DOMEST. LIB. VII. A co-

2 Cap. I. Indoles & Historia

codices, & quidquid manuscripti veteris nomine venit, in lucem protrahendi ac diligentius excutiendi provinciam in se suscepere. Hujus rei testes habemus, quotquot libros & grandia volumina, summa sedulitate ac magnifico adparatu typis publicis edita videmus (videmus autem seculo nostro sane multa & copiosa) in quibus omnis ætatis ac generis scripturæ, maxime vero antiqua diplomata, quæ temporum injurias & vetustatis invidiam, quamvis saepe non sine vulnere aliquo, evaserunt, luculenter nobis ante oculos ponuntur. Inde natum est, quod vocamus rei diplomaticæ studium, de quo jam nunc acturus sum ea ratione, quam in libris qua præcedentibus qua subsequentibus mihi met præscripsi, semper instituti mei memor; scilicet non tam ut artis vel scientiæ, quam tractandam suscipio, intima adyta pandam, omnemque illarum thesaurum exemplum, quam ut rectam de iis ideam, ordinem, eruditionis latentis supellectionem, formandique sani judicii modum subministrem. Ne vero heic ipso statim in limine hærere cogatur Lector, ante omnia quid nomine Diplomatica intelligatur, explicandum venit. Nosse igitur oportet, vocem hanc & prisco, & medio,

dio, & nostro ævo in usu fuisse pro eadem re quidem significanda, in diversis tamen occasionibus atque negotiis. Olim primum tabulæ seu scripta testimonia, Veredorum Præfectis exhibenda, nunc cupabant Diplomata. Solis enim Imperatoribus teste Joanne Corrasio (a) liciebat uti veredariis (quos nunc vulgo *positiones* dicunt a *positis*, seu locis per intervalla hunc in finem *positis*) ad epistolas ultro citroque mittendas: aliis vero nonnisi facultate impetrata, quam vocabant *Tractoriam*. Quare populo cursus publici copia fiebat per facultatem tractoriam, quæ ut illam definit Cœlius (b), est licentia utendi equis publicis cursorum. Porro dabatur hæc licentia scriptis tabellis *testimonialibus*, ut Vegetius loquitur (c), a quibus cursores obtinuere nomen Tabellionum seu Tabelliorum; quæ ipsæ tabulæ ut plurimum apud Scriptores veteres adpellantur Diplomata, hoc est, duplices tabellæ seu literæ complicatæ, primum tenui ligno, post lino trajectæ, demum etiam signatae. Ita Plutarchus (d) narrat, Augustum Cæsarem in diplomatibus libellisque

(a) *L. 1. Miscell. Jur. Civil. c. 11.* (b) *L. 21. c. 24.* (c) *L. 2. c. 3.* (d) *In Augusto.*

## 4 Cap. I. Indoles &amp; Historia

que & epistolis signandis initio sphinge  
usum esse, mox imagine Magni Alexan-  
dri. Meminerunt diplomatis Cicero (e)  
dicens : *De diplomate admiraris? . . .*  
*ego autem qui scripseras te proficisci co-*  
*gitare (etenim audieram nemini alteri*  
*licere) eo te habere censem, & quia*  
*pueris diploma sumpseras.* Et Capitoli-  
nus (f) *Praefectus inquiens cobortis a M.*  
*Aurelio Imperatore . . . quod sine di-*  
*plomate cursum usurpaverat, ab Antio-*  
*chia ad Legatum suum ire coactus est:*  
*videlicet ad subeundam poenam, quæ*  
*gravis admodum constituta fuerat iis, qui*  
*legem hanc violassent.* Erat autem in præ-  
senti negotio hæc ineunda ratio : Acci-  
piendum a Principe vel a Praefecto Fisci  
diploma: hoc ostendo *paracbi*, apud quos  
per viam dispositi stabulabantur equi,  
statim novos recentesque suppeditabant  
equos ad conficiendum cursum, qui ve-  
hicularis seu rhedis instituebatur, & ad li-  
teras aliaque in locum destinatum trans-  
ferenda. Ex his jam patet, Diploma pri-  
scis idem fuisse ac publicas literas aucto-  
ritate Principis, vel in hujus vicem Praefecti,  
firmatas, quibus fides adhiberi de-  
bebat de obtenta quam dixi facultate,  
id quod planum fit ex Plutarchi ver-  
bis

(e) *L. 10. ad Atticum.* (f) *In Pertinace.*

bis (g): „Nymphidius vero non medio-  
 „cri indignatione affectus est; cum Con-  
 „stiles servos publicos destinassent, qui-  
 „bus ferenda ad Imperatorem Senatus  
 „consulta præberent: quibus scilicet  
 „ipſis ea, quæ diplomata appellantur,  
 „ideo dari solent, ut iis statim agnitis  
 „civitatum magistratus tabellariorum cur-  
 „sum accelerent in commutatione vehi-  
 „culorum datis deductoribus. „ Post-  
 „modum vero vox hæc *Diploma* ad edicta  
 & mandata Principum transiit. Ita Cice-  
 ro (h) de literis Cæsaris loquens, quibus  
 Balbus restitui mandabatur, ait: *Diplo-*  
*ma statim non est datum.* Ita Trajanus  
 quoque ad Plinium (i): „Diplomata quo-  
 „rum præteritus est dies, non debent  
 „esse in usu. Ideo prima injungo mihi,  
 „ut per omnes provincias ante mittam  
 „nova diplomata, quam desiderari pos-  
 „sint. „ Ita rursus Cicero (k): *Mitto*  
*diplomata tota in provincia passim data.*  
 Denique tum medio, tum nostro ævo di-  
 plomatis nomine venerunt omnes literæ a  
 Principe, vel a Nobilibus Viris scriptæ  
 signataeque, quibus largitiones, fundatio-  
 nes, privilegia, pacis fædera, pacta, edi-  
ta

(g) *In Galba.* (h) *Lib. 6. epist. 12.*(i) *L. 10. epist. 47.* (k) *Ad Pisönem.*

## 6 Cap. I. Indoles & Historia

*Eta &c.* constituta vel confirmata sunt, ita ut iis exhibitis, riteque examinatis plena fides ac publica utroque in foro ab omnibus adhiberi debeat. Rem totam paucis verbis illustrant gemini Juris Consulti Lazjus (1) & Budæus (m) dum ajunt:

„ Diplomata esse literas, quas patentes  
„ nunc appellamus; cujusmodi sunt edicta  
„ & mandata Principum regio signo san-  
„ cta: & quas Bullas Poncificias vocant,  
„ Hæ autem literæ patentes sunt chartæ  
„ complicatæ, & olim ligno, nunc lino  
„ trajectæ. Tales erant & Codicilli Prin-  
„ cipum signis notati, quibus visis hippar-  
„ chi vehicula & equos cursorios præsta-  
„ bant iis, qui utebantur cursu publico. „

## II.

Perspecta diplomatis etymologia & ori-  
gine, rei hujus maximum, quod humano  
generi adfert, emolumentum proprius non-  
nihil conspicendum se præbet. Plurima  
enim sunt, quæ ex diligentí & diploma-  
tum inspectione considerationeque tum ad  
eruditionem nostram intelligere, tum ad  
fidem faciendam in gravissimis etiam ne-  
gotiis eruere possumus. Ad primum quod  
adtinet, Imperatorum, Regum, Ducum,  
Co-

(1) *De Rep. Rom.*

(m) *Annot. Posterior. in Pandectas,*

Comitum, Illustrium Virorum, nec minus Pontificum, Archiepiscoporum, cæterorumque Præsulum, longissimo temporis tractu a nobis dissitorum dignitatem, titulos, potentiam & regiminis amplitudinem inde cognoscimus: præclara eorum facta, pietatem in superos, liberalitatem in amicos & bene meritos, fidei publicæ integritatem, aliosque mores seculis illis priscis, nempe argenteis aureisve, congentos grandibus veluti characteribus descriptos legimus: perspicimus regnorum, ditionum ac latifundiorum fines, quo usque se extenderint: urbes, pagos, castra, prædia, fundos & possessiones, quas vocant fiduciarias, ad quos Dominos pertinuerint olim, quibusque ista vel vendita, vel pleno jure donata, vel in feudum concessa fuerint: rationem quoque temporum discimus, qua ætatis ac regiminis anni, *indictiones*, series continua dominorum ac hæredum palam fiunt. Præterea innotescunt nobis Nobilium quarumque familiarum origines, dignitates, munera, incrementa, vicissitudines & interitiones. Hæc omnia, inquam, facile intelligimus diplomatum ope, quæ in marmoribus & ære vetusto frustra inquireremus. Grandia profecto & Historiæ, & Geographiæ, & Genealogiæ subsidia! Ad alterum quod spectat,

## 8 Cap. I. Indoles &amp; Historia

suum unicuique jus his tabulis publicis,  
si genuinæ fuerint, adseritur. Nullum  
enim fortius ad jura sua, res & bona fa-  
miliæ sarta testa servanda præsidium, nul-  
lum ad hæc ipsa, si forte temporum inju-  
ria, ignorantia, aut malis artibus & frau-  
de in alienas manus ante diem devenerint,  
vel ab adversa parte mota lite infestentur,  
vindicanda certius argumentum est eo,  
quod fit in tribunalibus diplomata pro-  
ducendo. Horum auctoritate, ac indubi-  
tata fide non solum privatorum fortunæ,  
agri, domus, census, sponsiones, ultimæ  
voluntates, sed etiam civitatum, regio-  
num lmites, pacta publica, & foedera,  
jura ipsius majestatis stant intacta & secu-  
ra. Væ Nosocomiis, Monasteriis, Paro-  
chiarum decimis, Episcopatum juribus,  
ipsi Ecclesiæ Romanæ patrimonio, si non  
diplomatum antiquorum valida sepe cir-  
cumdata, probeque munita forent. His  
avaritiæ ac cupiditati frenum injicitur;  
his sacra & profana jura oppugnantium  
temeritati limes ponitur: his cedere de-  
bent legum ac leguleiorum argutiæ, om-  
nisque conjecturarum, interpretationum,  
cæterarumque machinationum juridica-  
rum moles. Quando enim diploma debi-  
tis instructum formulis loquitur, tacere  
debent litigantium ora, & in judicio cau-  
sa

sa finita est. Ejusmodi diplomata sunt Carolingica, Dagobertina, Conradina, Henriciana, Fridericiana, aliaque sexcenta, quibus artis hujus scriptores, utramque paginam, quin & vasta volumina hisce temporibus implet ac locupletant, e quibus Nobilium familiarum, Monasteriorum, & Ecclesiarum privilegia, bona & jura luculenter demonstrant. Evidem fateri oportet, satis multa eorum dubia & subiectæ fidei, interpolata, quin & supposititia ac spuria, præcipue ante sesqui seculum, e tenebris subito emersisse, ac pro genuinis aliquamdiu per manus & fora impune circumcursasse. Sed hoc ipsum est, quod artis hujus ac studii diplomatici utilitatem & vix non necessitatem vel maxime monstrat. Et re ipsa non pauci e viris doctis ac multa eruditionis laude conspicuis eo curas suas verterunt, ut vetustos Codices ac scripturas in tabulariis sedulo exuterent, cujusvis ævi characteres, scribendique morem diligenter adnotarent, sigilla & monogrammata curate inspicerent, singula inter se probe conferrent, ac denique certas quasdam regulas adinvenerint, traderentque, quibus genuinæ chartæ ac diplomata a falsis & conflictis discerni possent, quam artem postmodum diplomaticam adpellarunt. Hinc est,

quod nos posteri grates plurimas debeamus Majoribus nostris, qui velut futurorum præfagi tanta cura & solicitudine hæc antiquitatis monumenta adservarunt ac custodierunt in locis ad id designatis, quæ lapideo ut plurimum fornice instructa fuerunt, ac ferreis cratibus munita, & ad quæ aditus non patebat nisi per portas ferro obarmatas, quandoque etiam geminas, ac diligentissime obseratas, ut tum a flammis, tum a furibus eo securior foret thesaurus hic, quo sæpe tota rei familiaris fortuna continebatur. Neque superflua fuit hæc omnis quantacunque industria atque custodia, quum olim non solum a Vulcano, sed etiam a rapacibus prædonum manibus timendum esset, qui monasteriorum præsertim bonis inhiantes non raro vim faciebant, clam vel palam perfractis repagulis auferentes antiqua documenta, chartas, & diplomata, quibus cessiones, emptiones, venditiones, donationes &c. a Regibns, Principibus, & Viris Nobilibus pridem factæ confirmatae que consignabantur, cuius rei exemplum sane funestum dedit Gaidulfus Italus, qui postquam a Pipino Rege *Abbatiam* ut vocant Glannafoliensem obtinuit, Monachis inde fugatis scripturas omnes, ac tabulas donationum & ultimarum voluntatum testes

testes vi facta secum abstulit, partim aquis partim flammis postea absuntas, ne quæ spes vindicandarum ac repetundarum facultatum superesset. Nunc vero plus metuendum est a malis Criticis, maxime Acatholicis, qui Episcopatum & monasteriorum spoliis, quæ lucretioso illo avitæ religionis ejuratæ seculo passim fecere, non contenti antiquissima etiam Diplomata & privilegia in-jus vocare, atque convellere student, cujus rei notum satis specimen dedit cum aliis ejusdem farinæ Hermannus Conringius, qui Ludovicianum diploma Lindaviensis Cænobii sacrarum Deo Virginum, tanquam falsum & a Monachis confictum non sine magno per Imperium strepitu divulgavit, qua de re paullo post dicendi locus erit. Hæc omnia hucusque in medium allata magnam profecto studii diplomatici, de quo sermo est, utilitatem loquuntur atque commendant,

## §. II.

*Historia rei Diplomaticæ.*

## III.

**U**bi aureis mundi seculis humanam societatem atque commercium regebat bona fides, & concordia, non opus erat char-

## 12 Cap. I. Indoles &amp; Historia

chartis, codicillis, aliisque instrumentis, quibus *transactiones*, *edicta*, *rescripta*, *mandata*, *privilegia*, *largitiones*, *donationes*, *fundationes*, *testamenta*, & his similia firmarentur, sed cuncta hæc negotia conceptis verbis, dataque utrinque dextra componebantur, majusque robur ab hac paciscendi forma acceperunt, quam a tot aliis, quas postmodum homines excogitarunt, solemnibus scriptisque formulis. At dissidentia sensim in privatas publicasque res se se insinuante, quam malæ artes ac fraudes semper comitari solent, alio gravioreque remedio labescentem bonam fidem sustentari oportuit: unde tot literæ *fiduciariæ*, ac *tabulæ*, quas negotiorum in quacunque re demum rite gestorum Instrumenta adpellare solemus. Jam in ipsa sacra Scriptura hujus rei vestigia deprehendere licet. Primi homines fidem datam ut corroborarent, verbis *juramentum addidere*. Ita legimus (n), Abimelech Geraris Regem ad litem de puteo terminandam fœdus cum Abrahamo percusisse dicto utrinque juramento: *Idcirco vocatus est locus ille Bersabee, quia ibi uterque juravit.* Et inierunt fœdus pro puteo juramenti. Jacobum vero

ab

(n) Gen. c. 21.

ab Esau fratre, qui pro lentis edulio primogeniturae jus ipsi vendiderat, ut securior esset, ne forte accepto cibo pœnitentia ductus eam sibi denuo vendicaret, juramentum exegisse (o). Ait Jacob: *jura ergo mibi. Juravit ei Esau, & vendidit primogenita.* Postmodum vero etiam testes, absque tamen scriptura, in gravioris momenti conventionibus adhibuerunt. Sic dum Abraham ab Ephron agrum emisset ad speliendam ibidem Saram uxorem defunctam, sacer Codex inquit (p): *Quod cum audisset Abraham, appendit pecuniam, quam Epbron postulaverat, (scilicet pro agro suo) audientibus filiis Heth quadringentos siclos argenti probatae monetæ publicæ. Confirmatusque est ager quondam Ephronis... Abraham in possessionem viidentibus filiis Heth. Tum quoque ventum est ad scripturas & chirographa, qualia exigebant creditores securitatis gratia.* Ita Tobias senior (q) *cum in multa turba generis sui Gabelum egentem videret, qui erat ex tribu ejus, sub chirograpbo dedit illi memoratum pondus argenti, nempe decem talenta: Filio autem suo postea mandavit, ut recepta pecunia mutuo data Gabelo chirographum restitue-*

(o) Gen. c. 25. (p) Gen. 23. (q) Tob. 1.

## 14 Cap. I. Indoles &amp; Historia

tueret. Non minus dotalia pacta Ranguel, quum Tobiæ juniori Saram in uxorem dederat, scripto confirmavit: *Fecit scripturam, ut pars dimidia, quæ supererat obitum eorum (videlicet parentum) Tobiæ dominio cederet (r).* Denique publica negotia tabulis rite confessis peracta fuerunt. Sic docet nos historia Machabæorum (s), qui ut jugo Græcorum se subducerent, legatos Romanos miserunt, ad societatem & fœdus cum Romanis ineundum. Hi rescripserunt hunc in modum: „Bene sit Romanis & genti Judæorum, in mari & in terra æternum: gladiusque & hostis procul sit ab eis. Quod si institerit bellum Romanis prius, aut omnibus sociis eorum in omni dominatione eorum, auxilium feret gens Judæorum, prout tempus dictaverit corde pleno: & prælantibus non dabunt neque subministrabunt triticum, arma, pecuniam, naves, sicut placuit Romanis, & custodient mandata eorum, nihil ab eis accipentes. Si militer autem si & si genti Judæorum prius acciderit bellum, adjuvabunt Romani ex animo, prout eis tempus permiserit. „*Et hoc Rescriptum*

(r) Tob. 8. (s) Lib. I. Cap. 8.

ptum est, ait S. Codex, quod rescripsērunt in tabulis æreis, & miserunt in Ierusalem, ut esset apud eos ibi memoriale pacis & societatis. Hac ratione res ista agebatur in Hebræorum Republica. At si Romanam spectemus, pauca supersunt *emptionum*, *venditionum*, *conventionum*, *donationum*, hujusque genesis alia monumenta, cuius rei causæ possunt esse vel mores Romanorum, quod raro literis & chartis ultro citroque datis contraxerint, vel modica cura in iis adservandis adhibita, vel demum bella & incendia, quæ quidquid obvium est, devorare solent. Pauca inquam supersunt, eaque solum, quorum fragmenta quædam Jurisconsulti ex Historicorum, Philosophorum, & Oratorum Romanorum libris, atque etiam e Legum Codicibus & Pandectis, ubi dispersa delitescebant, magno labore collegerunt. Posteriorum tamen Italæ temporum scripturas & diplomata non pauca diu sepulta Cl. Vir Ludovicus Antonius Muratorius in lucem protraxit.

## IV.

Fœcundior fuit Germania, medio præsertim ævo, tamque abundans similium monumentorum, seu chartis seu membra-

16 Cap. I. Indoles & Historia

branis inscriptorum, ut post tot etiam  
bella, clades, direptiones, incendia &  
inundationes nulla fere sit communitas  
sive sacra sive profana, quæ non veter-  
es chartas; nulla civitas & Respubli-  
ca, quæ non privilegia, statuta, & quas  
vocant *Matriculas*, nullum Collegium,  
quod non tabulas publicas: nulla Nobili-  
tatis, quæ non Codicillos *Clientelares*:  
nullum Cœnobium, quod non literas  
*fundationum, dotationum, largitionum*:  
nulla demum Curia Principalis, quæ  
non tabularia, & quæ vocamus Archi-  
va, locaque sanctiora diplomatis ac  
documentis referta ostentare queat. Iis  
enim moribus vixerunt Germaniae veter-  
es incolæ, maxime Alemanni, ut Ro-  
manarum legum & Juris Latini parum  
curiosi amotis procul litibus forensibus,  
quas illud tot interpretationibus, *glos-  
sis, scholiis, & exceptionibus obnoxium*  
post se trahere solet, pacem & com-  
mercum inter se colerent ita, ut in  
quibusvis momenti majoris rebus fidem  
suam scripturis oppignerarent, ignari  
adhuc, quid rei essent *Usucapio & Præ-  
scriptio*: tantum quisque possidebat, ca-  
piebat, & reddebat, quantum charta  
loquebatur ac testabatur. Patet hoc sa-  
tis e legibus Alemannicis, inter quas  
una

una erat: *Res Ecclesiæ de Laicis absque charta nullus præsumat possidere* (t) Alia: *Si quis res suas vel semetipsum ad Ecclesiæ tradere voluerit, per chartam firmatatem faciat, & testes sex aut septem adhibeat, & nomina eorum ipsa charta contineat, & ponat super altare. Et proprietas de ipsis rebus ad ipsam Ecclesiæ in perpetuum permaneat.* Et si aliquis illas res abstrahere voluerit, *Dei judicium & excommunicationem incurrat* (u). Rursus aliæ: *Si quis de rebus Ecclesiæ traditis chartam fecisset, si illa charta arserit aut perdita fuerit, quam ille homo fecit, tunc dicat illi bæredi cum testibus nominatis quinque (ipse sit sextus) in ipsa Ecclesia jurare, quod pater ejus nec chartam fecisset, nec ad illa sancta loca dedisset. Et si hoc præsumperit facere, illas res possideat* (x). Hic tamen mos postea, quum multis perjuriis locum daret, Longobardorum legibus est sublatus. Tam frequens igitur erat apud istam nationem hæc se aliosque obstringendi, fidemque datam chartarum ope confirmandi ratio, ut passim invaluerit vox illa barbara *inchartare*, & prædium *inchartatum* dicetur, quod secundum literarum ac tabu-

(t) Cap. 19. (u) Cap. 1. (x) Cap. 2.

bularum præscripta possidebatur. Auxi<sup>c</sup> frequentiam solicitude, ne forte incuria vel alio fato interiret supellex isthæc, in qua jurium ac probationum omnis consistebat valor & vigor. Hinc illi quorum intererat, plura tabularum, & diplomatum exemplaria circa idem negotium facta in tribunalibus & curiis Principum magnis impensis condi curabant. Certe ab ævo Carolingico quatuor minimum fuerunt: unum scilicet in gratiam illius, qui diploma rogaverat; alterum ut servaretur in loco, ubi Princeps petitioni annuit; tertium ut exstaret in urbe vel castro, in quo scriptum ac sigillo munitum fuit; quartum denique, quod in ipso Principis tabulario ad perpetuam rei actæ memoriam reponeretur. Inde est, quod in vetustis ejusmodi instrumentis sequentes formulas legamus: *Cum hominum memoria sit labilis: cum a temporum æragine nihil liberum: ne qua incuria aliove casu intercidat nostræ voluntatis dispositio: cum mors omnibus rebus adferat oblivionem &c.* ideoque e re visum est, referre in literas id, quod actum contractumque est, ne posteris possit esse dubitatio eorum &c. Principiam vero, ut oportuit, curam chartarum, chirographorum & diplomatum suorum gerebant Cœnobia & Ecclesiæ, in qui-

quibus mira fuit Clericorum & Monachorum tum diligentia tum providentia in describendis piarum *fundationum*, *privilegiorum*, *largitionum* & *ultimorum voluntatum* literis ac diplomatis, quæ pictis etiam eleganter ac inauratis characteribus insignita sigillis ac subscriptionibus probe muniri curarunt, ut plenam fidem apud posteros invenirent, velut præfigi temporum futurorum, quibus vix aliquid de Majorum pia liberalitate relinqueretur Ecclesiis ac Monasteriis, si non tot tamque legitimis documentis, & testimoniois omni exceptione majoribus essent instructa. Aliud industriae genus accessit apud Germanos, quo ætatem ferrent literaria hæc monumenta: nimirum omni studio contenderunt, ut qui in regno, principatu, vel nobili familia successere, antecedentium largitiones, voluntates, ac formulas renovarent, amplissimeque confirmarent. Testantur hoc vetustiores scripturæ, his fere verbis conceptæ: „Noverint omnes, „quod nos literas (hujus vel illius ex „antecessoribus) adspexerimus, ac manibus contractaverimus non abolitas, „non concellatas, nec aliqua parte vi- „tiatas, neque suspectas, sed genuinas, „& oīni ex parte sinceras. Jussimus „ergo illas de verbo ad verbum hic tran-

20 Cap. I. Indoles & Historia

„ scribere & transumere. „ Sequitur te-  
nor literarum, ac subjungitur: „ Nos  
„ itaque scrutatione habita diligenti eas  
„ literas declaramus & habemus legitи-  
„ mas, & genuinas, atque instar sui ori-  
„ ginalis, quod non opus est porro exhi-  
„ bere, & producere. Deinde omnia  
„ ejus literae charta hac nostra facimus,  
„ ratihabemus, approbamus, ratificamus,  
„ repetentes execrationes adversus illos,  
„ qui earundem fidei aliquid detraxe-  
„ rint. „

V.

Hac scripturarum & diplomatum ingens  
copia, & solertissima cura duravit prope-  
modum usque ad finem seculi decimi quin-  
ti, quo tempore Jus Latinum cum Causi-  
dorum ac Leguleiorum turba in Germa-  
niā quoque penetravit, & magno hono-  
re studioque exceptum fuit. Tum lites  
& controversiae circa *contractus, venditio-*  
*nes, emptiones, usucapiones & testamenta*  
ad legum apices expendi cœperunt, ma-  
gnisque contentionibus in foro & tribuna-  
libus agitari. Ita factum est, ut brevi  
evanesceret grandis illa fiducia, quæ in  
literis & chartis prius ponebatur, & illa-  
rum ratio vix ulla haberetur: quin quod  
tabulariorum Præfecti, quos *Chartularios*  
&

& *Archivarios* vocabant, quibusque in Principum & Magistratum curiis multis honor, magna que fides deferebatur, dimissi fuerint, & e munera publicorum albo expundi. Jacebant igitur veluti carceribus conclusa hæc priscae germanaque fidei monumenta, & intra ferreas crates solitaria a tineis & blattis defendere se cogebantur: non raro etiam involucri loco libris vilissimis servire debebant pretiosa hæc antiquitatis spolia. Tantus erat eorum neglectus, tanta oblivio. Magis propitium illuxit sidus uno abhinc, & quod excedit, seculo, quum crescente hominum eruditorum numero, & cum his cupiditate ac studio rei antiquariæ, istud quoque genus scriptorum in memoriam redire cœpit. Tunc aperta sunt claustra, quibus hæc Sibyllarum folia captiva tenebantur, & Principum, Nobilium, ac Cœnobiorum favore accessus ad tabularia patuit Viris rerum peritis, quibus & ad legendum & ad describendum passim exhibebantur chartæ, codicilli ac diplomata; unde factum, ut quamplurima publicis quoque typis orbi literato communicarentur. Geminam hujus rei caussam invenio: Prima erat, quod non pauci ævo isthoc prodierint, qui aut regnum, provinciarum, principatum & nobilium

22 Cap. I. *Indoles & Historia*

stemmatum, etiam Episcopatum, Ecclesiasticarum, & Cœnobiorum originem ac vicissitudines curiosius vestigabant, aut in mores priſcorum hominum, jura & potentiam diligentius inquirebant, aut ad Imperatorum, Regum, Principum, Heroum, præsertim vitæ sanctitate illustrium Virorum acta, scripta, & res præclare gestas curatius describendas animum adjecerunt. Hi omnes ut historiæ suæ melius, quam veteres scriptores solebant, consulerent, varias provincias ac ditiones non sine magnis impensis peragrarunt, ubique in tabularia & bibliothecas benigne admissi antiquos codices, omnesque vetustarum scripturarum & chartarum angulos excusserunt, & quidquid in rem suam esse videbant, quam diligentissime excerptserunt adnotaruntque. Ingers profecto tum ad historiam, tum ad chronologiam, maxime vero ad veritatem subsidium, utpote quæ ex adparatu documentorum tot chirographis, diplomatis & sigillis munitorum quam certissime eruitur! Altera fuit causa, quam priori seculo præbuerunt lites ac controversiæ & graves & multæ circa Diplomata vetustiori ævo concessa vel obtenta potissimum in Germania exortæ, dum quædam hi producerent ac defendenter tanquam genuina & sincera, illi re-  
jice-

ſſerent tanquam spuria & ſuppoſititia. Magnis utrinque ſtudiis pugnatum eſt jam olim inter Archiepifcopum Mediolanem, & Abbatem S. Donati in Curia Romana circa Instrumentum donationis a Comite Luitardo factæ, ac diplomata Henrici & Ludovici Impp. uti legitur in *Decretalibus* (y), & patebit infra pluribus capite quarto hujus libri ad finem: Maxime vero prioribus ſeculis fervescabant lites in ſupremis etiam Germaniæ tribunaliſbus. Ita Magdeburgensis civitas circa annum 1640. producto quodam diplomate, quod ab Ottone M. Cæſare an. 940. ſibi datum perhibebat, subducere ſe voluit Archiepifcopi, Principis ſui, obedientiæ, ac Imperialium & liberarum urbium numero adſcribi. Non minor lis exorta eſt inter Archiepifcopum & Electorem Trevirenſem, atque inter Cœnobium S. Maximini O. S. B. ſitum in suburbio Trevirenſis civitatis, Archi-Præſule ciuilē & que ac ſacram in illud potestatem ſibi vendicante: utrinque acriter certatum eſt productis diplomati- bus Dagobertiniſ, deditque res hæc an- ſam Henschenio, Papebrochio, Mabillo- nio, Germonio aliisque accuratius exami- nan-

(y) *C. Inter Dilector. 6. de Fide instrumentos torum.*

## 24 Cap. I. Indoles &amp; Historia

nandi diplomata quoque Merovingica & Carolingica. Frisiæ Orientalis Ordines, ut vocant, & Principem inter se diu commisit Diploma Caroli M. quo illi contendebant, ob præstata militaria obsequia concessam fuisse sibi a Carolo libertatem, ne pareant Principi, sed juris dicundi caussa eligant ex Ordinibus Consules, imperii autem exercendi potestas sit penes populum & Ordines Frisiæ, qui etiam ad hoc diploma in supremis Imperii tribunalibus provocarunt. Aliud ejusmodi Diploma Carolinum, quo Westphaliæ Episcopis Osnabrugensi, Bremensi, & Verdensi regalis jurisdictio & superioritas concessa est, graves turbas excitavit, aliquibus, maximam partem acatholicis, id nullius fidei esse contendentibus: aliis, inter quos etiam Papebrochius, demonstrantibus verum esse ac authenticum, suffragantibus quoque Imperii tribunalibus. Pertinacior ac diuturnior erat pugna inter civitatem Lindaviensem Acatholicam, & Illustrē Cœnobium Sacrarum Virginum ad Beatæ Virginis, circa diploma Ludovici Imp. Pro civitate stabant Daniel Heiderus, Hermannus Conringius, Wilhelmus Tenzelius, Joannes Wegelinus: contra hos pro cœnobio fortissime decertabant Henricus Wagnereckius, SS. Canonum Profes-

fessor, & Maximilianus Raßlerus, Cancellarius Academiæ Dilinganæ, uterque Societatis Jesu Religiosus. Omitto alia seu prælia seu velitationes: Episcopi Argentoratensis cum civitate ejusdem nominis circa diploma Lotharii I: Monasterii Reichenaviensis cum Ulmensibus de diplomate Carolino: Wirzburgensis Præfusilis cum Bambergensi ob diploma Friderici I. &c. quæ refert Jo. Petrus Ludevvi-gius (z). Jam vero hæc lites ac controversiæ, utcunque demum finitæ, magnum præstiterunt obsequium rei diplomaticæ studio. Hac enim via, ut quisque pro vel contra Trojam acerrime pugnabat, innotuit denique veteris ævi orthographia, & variorum seculorum varia scribendi ratio: constitutum fuit codicibus tempus, quo in lucem editi sunt: explicatae fuerunt intricatissimæ notæ chartarum, & breviatae voces suæ integratæ restituebantur: examinata sigilla & monogrammata diplomatum: detecta quoque eorum vitia: verbo, nihil omissum est, quo hæc antiquitatis monumenta magis magisque illustrarentur.

VI.

(z) *In Reliquiis MSS. omnis ævi diplomatum.*

## VI.

Juvat nunc præclaros industriæ hujus partus, eorumque auctores tam sacros quam profanos recensere, quos commode in tres classes distribui posse mihi visum est. Prima sit illorum, qui postremis duobus seculis primi velut vadum tentarunt editis variis chartis & diplomatibus. Inter hos numerandi veniunt Joannes Aventinus, qui non pauca diplomata in *Annalibus Bavariae* produxit, iisque historicorum quorumdam menda correxit ... Henricus Canisius in *antiquis Lessionibus*, & qui eas continuavit Petrus Stevartius, item Jacobus Gretserus S. J. in eruditis suis operibus hinc & inde diplomata quædam & instrumenta utiliter inseruerunt ... Joannes Georgius Hervvartus Cancellerius Electoris Bavari in *Apologia pro Ludovico IV. aliis V. Cæsare* ex Auctabulario aliqua in lucem protulit diplomata; non minus Joannes Fuggerus in *Speculo Austriae* sedulus fuit in colligendis Austriae domus diplomatibus ... Melchior Goldastus in *Constitutionibus Imperialibus* plurima collegit, sed desideratur delectus, & multa sunt sublestæ fidei ... Variorum principatum, ducatum, regio-

gionum, monasteriorum, civitatum diplomata publici juris fecerunt Brovverus, Guillimannus, Gabriel Bucelinus Ord. S. Bened. Bœcklerus, Maderus, Peckmanus, Daniel Baringius, Heineccius, Hofmannus, Ludevvigius. Altera classis est eorum, qui magnis voluminibus vastam complexi historiam copiosis MSS. & diplomatibus eam locupletarunt. Ejusmodi fuerunt: Conditor Annalium Ecclesiasticorum Cœsar Baronius, cuius doctæ industriæ non solum Italia & Francia, verum etiam Germania plurimum debet ob producta magno numero hujus generis documenta, ad id usque tempus ignorata . . . Abrahamus Bzovius, qui septem voluminibus Baronii Annales persecutus est, ingentem adfert copiam diplomatum, quorum aliqua etiam in critica Francisci Pagii est reperire. . . . Wiguleius Hundius, Bojariæ Ducis Consiliis, in libris quibus stemmata Procerum Bavariæ Nobilium, & Salisburgensem Metropolin illustravit, maximam diplomatum curam habuit. . . . In appendice ad Chronicon Reichersbergense, in scriptis septemviralibus adversus Freherum, & in Metropoli Salisburgenſi, quorum omnium Author est Christophorus Gevboldus, ejusdem Ducis Bavariæ Consiliarius, silvam diplo-

28 Cap. I. *Indoles & Historia*

diplomatū invenire licet. . . . Non par-  
cior fuit in exhibendis hujuscemodi publi-  
cīs instrumentis Carolus le Cointe, qui  
octo Tomos Annalium Ecclesiasticorum  
Franciæ edidit . . . Joannes Mabillonius,  
de quo brevi amplior sermo redibit, in  
variis quæ scripsit operibus multa in lucem  
protraxit diplomata, in quibus conquiren-  
dis strenuam eidem operam navavit Ruinar-  
tius laboris eruditī socius . . . in Actis  
Sanctorum, quæ Bollandus feliciter in-  
choavit, Henschenius vero, Papebro-  
chius, aliquique tanto hucusque volumi-  
num numero strenue continuarunt, ingens  
diplomatū adparatus comparet . . . Ja-  
cobus Sirmondus S. J. notæ eruditionis  
scriptor multa adfert & examinat diplo-  
mata in *Capitularibus Galliæ*, & opuscu-  
lis variorum MSS. orum editis Lutetia Pa-  
risiorum. . . . Ferdinandus Ughellus in  
Italia sacra novem voluminibus descripta  
nemini cedit ubertate similiū instrumen-  
torum. Nam Italiam totam pervagatus a  
Principibus & Præsulibus quamplurima  
acepit vulgavitque tum diplomata Cæsa-  
rum, maxime Germanicorum, tum Bul-  
las Pontificum. *Tertia classis* esto illo-  
rum, qui ex instituto cum veteres scriptu-  
ras, tum diplomata collegerunt ac typis  
promulgarunt. Sunt autem Aubertus Mi-  
ræus,

ræus, qui diplomata belgica diversis libris complexus est . . . Stephanus Perardus diplomata ad res Burgundicas pertinentia collegit . . . Fridericus Leonardus, Regius Architypographus, Franciæ Regum cum Imperio ac Rebuspublicis aliisque initorum fæderum, pacis, & transactionum instrumenta ab anno 1435. usque ad annum 1690. sex voluminibus posteritati reliquit . . . Godefridus Leibnizius in libro Codicis Juris gentium *tabulas pacis, conventionum, fæderum &c.* . . . Josephus Peresius O. S. B. Salmanticæ typis dedit Dissertationes, in quibus pleraque ad rem diplomaticam spectantia discutiuntur.

. . . Thomas Reymerus acta publica diversi generis cum literis & conventionibus inter Angliae Reges, aliosque Principes ab anno 1101. ad annum 1718. voluminibus omnino septemdecim Lectoribus exhibet . . . Scipio Maffei historiam diplomaticam vulgavit Mantuæ an. 1727. . . Memorandi quoque veniunt tres Viri Clarissimi ex Ordine S. Benedicti: Edmundus Martene, & Ursinus Durand, qui novum thesaurum epistolas Regum & Diplomata continentem quinque voluminibus aperuerunt: & Lucas Dacherius, qui omnis ævi chartas, libellos, chronica, epistolas, & opuscula varii argumenti,

quo-

quorum magna pars S. R. I. diplomata tangit, tredecim librorum finibus circumscriptis . . . illustrissimus Abbas Justus Fontaninus Romæ an. 1705. vindicias antiquorum diplomatum in lucem dedit . . . Non ita pridem Chronicon Gottvicense seu Annales liberi & exempti Monasterii Gottvicensis O. S. B. inferioris Austriae magnis impendiis & eruendæ antiquitatis per plures tomos promissis prodiit. Quod ad Pontificia Diplomata adtinet, quæ proprio nomine Bullæ vocantur, *Magnum exstat Bullarium*, in quo initium dicitur a B. Leone M. & per omnia subsequentia Pontificum secula in hodiernam usque diem singulorum *Epi-*  
*stolæ, Brevia, Bullæ, Constitutiones* quam curatissime, plenaque fide recensentur. Hujus præclarissimi Operis Conditor primus erat Laertius Cherubinus inclitus Juris Consultus Romanus: persecutus est Angelus Maria Cherubinus Monachus Cassinensis: continuarunt Angelus a Lantasca & Joan. Paulus a Roma ex Ord. Min. S. Francisci, ac post hos alii Viri Eximii ad id muneris constituti, constatque modo totum Opus Tomis XIX.

## VII.

Eruditis his scriptoribus multum quidem debet incrementi res Diplomatica: nullus tamen adhuc erat, qui ad artis methodum certis eam regulis conformarit. Nam qui leges aliquas statuebant, singularibus duntaxat scripturis & diplomaticis eas adhibuere, quemadmodum Leo Allatius in animadversionibus ad fragmenta antiquitatum Etruscarum, & Hermannus Conringius in censura diplomaticis Ludoviciani pro Cœnobio Lindaviensi. Primus qui peculiari tractatione rem summe arduam aggressus est, fuit Daniel Papebrochius S. J. editis Sanctorum actis Vir Clarissimus in *Propyleo Antiquario circa veri ac falsi discrimen in vetustis membranis*, quod præmisit Tomo secundo Aprilis. Operæ pretium esse mihi videtur, (ut brevi patebit) rem totam ut gesta est, cognoscere. Occasionem hujus sui laboris suscepit ipse narrat in *Praefatione* his verbis: „ Ale-  
„ xandri VII. Pontificis Maximi extremo  
„ dignati alloquio, priusquam Roma di-  
„ scederemus in Belgum anno MDCLXI.  
„ ad Opus de Sanctorum actis majori  
„ indies cum cura profectuque expoliens-  
„ dum, non tantum alacriores ex illius  
„ appro-

„ approbatione revertimus, sed etiam  
„ instructiores ex admonitione. Nota-  
„ verat vir ille sapientissimus, lecta de  
„ tribus Dagobertis Francorum Regibus  
„ Diatriba, tam novis ac curiosis, quæ  
„ isthic tractantur, quæstionibus definien-  
„ dis præsidium magnum ex veterum  
„ Ecclesiarum Monasteriorumque archivis  
„ peti. Audiverat idem a Vaticanæ bi-  
„ bliotheçæ Custode Allatio, non tantum  
„ probatas sanctorum vitas, sed etiam  
„ fabulosas aliquas transcribendas per nos  
„ designari. Hoc cur faceremus, voluit  
„ cautam intelligere; istud mirifice com-  
„ mendavit; si tamen, inquietabat, suppo-  
„ sititia a genuinis, interpolata a since-  
„ ris maturo secernantur judicio; in ve-  
„ tustis enim diplomatis chartisque reci-  
„ piendis ad historicam probationem non  
„ minori versandum est cautela, quam  
„ in numis; quorum multi sub larva an-  
„ tiquitatis inducunt in fraudem, vix a  
„ paucis oculatioribus agnoscendam. Ei  
„ igitur qui falli nolit, curandum cen-  
„ sebat, non tantum ut cognitas habeat  
„ formularum notorialium rationes, pro-  
„ seculorum atque locorum varietate di-  
„ versas, sed ipsos quoque literarum du-  
„ ctus dignoscat curiose, si quando offer-  
„ rentur chartæ, quæ authographæ esse  
„ di-

„ dicantur. Idque confirmaturus Sanctis-  
„ simus, sublatos de genibus jussit ad in-  
„ terius conclave sequi; ubi habebat con-  
„ ventionem quamdam authographam, a  
„ Carolo Magno in Hetruria confirma-  
„ tam; dignatusque est ipse eam præle-  
„ gere nobis atque indicare singula, quæ  
„ diligentius merebantur considerari.  
„ Quod autem ad fabulosa quædam San-  
„ ctorum acta attinet, de iis a nobis edo-  
„ catus vicissim, ipsorum exemplar ideo  
„ peti, quod aliter nequeat certo diluci-  
„ deque convinci falsitas, quam relegen-  
„ do ipsamet fraudis nunquam integre se-  
„ occultantis vestigia; probavit consi-  
„ lium, agnovitque etiam id habere lo-  
„ cum in diplomatis, neque minus ad  
„ veri falsique discretionem acquirendam  
„ valere chartarum suppositorum exem-  
„ pla, quam authographa verarum. „  
Hucusque de colloquio cum Pontifice:  
huic mox subjungit Papebrochius, quæ  
sequuntur: „ Exinde quod antea facieba-  
„ mus studiose, cœpimus multo adhuc  
„ diligentius facere Auctore tanto, & utro-  
„ rumque sæpius inter se collatorum fre-  
„ quenti usu paulatim facti peritiores mul-  
„ ta deprehendimus manifesto falsa, in  
„ quibus dubii ante paventesque hæreba-  
„ mus: nonnunquam etiam nos ipsos

„ correximus, retractando fidem, quam  
„ talibus ante dederamus. Hujus studiū  
„ ad illustranda Sanctorum acta tantum  
„ valentis fructus aliquos exhibebit præ-  
„ sens Propylæum. „ In hoc præmissa  
admonitione, quod a suppositiarum char-  
tarum demonstratione nullum immineat  
discrimen possessioni justæ & antiquæ, in-  
dicare cœpit auctor, qua ratione in vete-  
nerum fundationum, donationum, privi-  
legiorum instrumentis ope tum characte-  
rum, tum styli, tum formularum & nota-  
rum, tum chronologiæ & historiæ, tum  
sigillorum & monogrammatum & subscri-  
ptionum vera a falsis discerni queant, va-  
riisque illustrare conatus est exemplis.  
Monstravit itaque Papebrochius viam cer-  
tæ methodi in chartarum & diplomatum  
examinandorum negotio ineundæ, ejus-  
que fontes primus aperuit. Verum res  
hæc insolens visa (quemadmodum in  
omnibus initii fieri afolet) validum inter  
viros doctos certamen accendit, eo quod  
aliqui jam antea obliquis oculis acta hæc  
sanctorum aspicerent, rati quantum in iis  
veritati daretur, tantum detrahi rerum  
suarum antiquitati: alii vero diplomata  
quædam rejecta cernerent, tanquam mi-  
nus genuina, pro quorum vetustate ac  
valore quasi pro Palladio servando pugna-  
bant.

baor. Inter hos præcipuus erat Joannes Mabillonius, Presbyter & Monachus Ord. S. Bened. e Congregatione S. Mauri, Vir eruditissimus, & quum annos bene multos omnis generis vetera instrumenta & Codices antiquos evolvisset in bibliothecis & tabulariis variarum provinciarum, hac in re versatissimus. Hic occasione velut oblatâ usus animum adplicuit ad confidendum doctum ac celebre Opus de re Diplomatica, Lutetiæ Parisiorum anno 1681. editum, in quo totam illius œconomiam exposuit, & non raro ea, quæ Papebrochius in Propylæo suo statuebat, refellere studuit. In hujus supplemento producit Mabillonius literas ab ipso Papebrochio die 20. Julii an. 1683. ad se datas in hæc verba: „ Postquam . . . utcunque evol-  
„ vi opus vestrum de re diplomatica, non  
„ possum tamen celare fructum, quem  
„ inde retuli. Fructus autem hic est,  
„ quod in mea de eodem argumento octo  
„ foliorum lucubratiuncula, nihil jam am-  
„ plius placeat, nisi hoc unum, quod  
„ tam præclaro operi & omnibus numeris  
„ absoluto occasionem dederit. Idque  
„ his ipsis fere verbis profitebor in præ-  
„ fatione ad Conatum Chronico-histori-  
„ cum de Romanis Pontificibus, qui cras  
„ ad prælum dabitur. Quod facere nolui,

„ priusquam e vestro libro notassem,  
„ quid corrigere circa ipsorum bullas de-  
„ berem, ad restituendam San-Dionysia-  
„ no Archivio æstimationem suam, quam  
„ lassisse videor, secutus Launoii judi-  
„ cium. „

Et re ipsa quod promisit, præstitisse Pa-  
pebrochium invenio in Præfatione ad præ-  
fatum Conatum Chronico-Historicum (qui  
habetur Tomo primo Mensis Maji, edito  
an. 1685.) numero ejusdem duodecimo,  
ubi a quadam Baronii sententia recedens  
ait: „ In hoc si scopum non attigero, al-  
„ terque feliciori id faciens successu meos,  
„ si quos invenerit, errores corrigat,  
„ adeo non feram id ægre, ut cum animi  
„ gratulatione sincera cessurus ei palmam  
„ sim; eademque promptitudine illi assur-  
„ recturus, qua eruditissimi Patris Joannis  
„ Mabillonii de re diplomatica opus ex-  
„ cepi, & postquam legeram, approbavi,  
„ licet in non paucis contrarium eis, que  
„ in argumento eatenus intacto optima  
„ quidem voluntate, sed impari ad rem  
„ tantam instrumenti necessarii copia, obi-  
„ ter delibavi occasione Trevirensis cu-  
„ jusdam figmenti, Quamvis enim istud  
„ satis eversum sit lucubratiuncula prædi-  
„ cta, assentiente ipsomet Mabillonio, ad  
„ lucem tamen dignioris istius justique  
„ op-

„ operis (videlicet Mabilloniani) illa sic  
 „ mihi ipsi viluit, ut in ea nihil fere am-  
 „ plius inveniam, quod placeat, quam  
 „ quod ex dubiis isthie a me fortuito mo-  
 „ tis tam insignis Commentarius nasci  
 „ potuerit ab eo, qui rem ex professio-  
 „ pertractavit. Evidem sic existimo,  
 „ neminem turpiter vinci, ubi gloriosum  
 „ fuit certare; si tamen certasse dici pos-  
 „ sim cum alio, quam cum ipsius argu-  
 „ menti obscuritate, originaliumque di-  
 „ plomatū defectu, nomine tum adhuc  
 „ invento, qui speraret inveniri aliquam  
 „ methodum posse, ad veri falsique di-  
 „ scrimen faciendum inter diplomata ve-  
 „ tera, et si constaret multa esse inter ea  
 „ sublestæ fidei, saltem quoad historiam,  
 „ pro qua sola satagebam. Libenter in-  
 „ terim restituo San-Dionysiano Archivio,  
 „ quam læsisse inconsultius videor, re-  
 „ verentiam sub ea, quam Mabillonius  
 „ offert cautela, ut quedam istibic inve-  
 „ nirī non negentur vel omnino falsa, vel  
 „ interpolata, vel dubia, tum primæ tum  
 „ secundæ stirpis, quia bonus ac simplex  
 „ erat Dubletus, qui quodlibet incidit  
 „ in manus, sine dolo malo in publicos  
 „ oculos producit. „ Hucusque Pape-  
 „ brochius. E quibus tria satis constant:  
*Primo* quidem, Danielem Papebrochium

primum fuisse, qui vadum tentavit, & rei diplomaticæ in ordinem & artis formam redigendæ manum admovit, constitutis quibusdam legibus, quemadmodum fatetur ipse Mabillonius (a), dum ait: *Multi quidem varias sparsim regulas, ubi de singulari argumento agebatur, tradiderunt. . . At nullus ad hoc usque tempus peculiari tractatione rem aggressus fuerat ante Danielem Paprobrochium S. J. editis sanctorum actis clarissimum Virum, qui in Prolypæo ad Aprilis tomum secundum data opera eam discutiendam suscepit anno M. DC. LXXV.* Secundo, Mabillonum Propylæi Pepebrochiani occasione, ac gloria simulacione excitatum constructo insigni opere artem diplomaticam perfecisse, uti vice versa Papebrochius palam de ipso testatus est verbis illis: *Frustrum fuisse lucubratiunculae suæ, quod nibil jam amplius in ea placuerit, nisi hoc unum, quod tam præclaro operi & omnibus numeris absoluto occasionem dederit.* Cætera summi etiam hi Viri in negotio tam lubrico ab omni hallucinatione non fuerunt immunes: Mabillonius refellit regulas Papebrochii, quem strenue vindicavit postmodum Bartholomæus Germonius (b): contra Geor-  
gius

(a) Lib. r. c. 1.

(b) In Discept. de Diplom. ad Mabillonum.

gius Hickesius (c) acriter insurgit ac impugnat regulas Mabillonii, quem tamen Theodoricus Ruinartius defendit. *Tertio*, admirandam esse in utroque hoc eruditissimo Scriptore animi moderationem atque modestiam, dum Mabillonius Papebrochio primas, Papebrochius Mabillonio palmam in hac palæstra diplomatica concedit. Hanc modestiam in scribendo utinam æmulatus fuisset cæteroqui non ignobilis scriptor acatholicus, & rei hujus gnarus Joannes Petrus Ludevvigius J. C. Nescio quod hominem œstrum invaserit, ut in *præfatione* sua ad *Reliquias MSSorum* Papebrochii & Jesuitarum omnium famam indignis sane modis, & convitiis etiam in heterodoxo scriptore non ferendis proscindere non dubitarit. Ait enim (d), quum Acta Sanctorum scribere cœpissent, Jesuitas id egisse, ut omni vetustati indicarent bellum, ne aliis præcipui aliquid eos oporteret relinquere: instituti hujus furorem eo processisse, ut chartas omnes in dubium vocare ausi sint, simulque pretio omni eas destituere: quidquid nefarii & improbi consilii fuisset, texisse illo involucro alicius remedii adversus hæreticos: vocat hunc eorum conatum odii & periculi plenis.

(c) In *Lingu. veter. Thesauro.* (d) *Pag. 25<sup>e</sup>*

nissimum, immo pestilentissimum, addens :  
hoc forte consilio quoque describere suscep-  
perunt Acta Sanctorum, ut scilicet in hoc  
argumento campum haberent amplissimum  
omnia convellendi, exaggerandi literarias  
imposturas, fraudes, fabellas, commen-  
ta, cum iisque etiam plenæ fidei docu-  
menta & testes impetrandi, commiscendi  
prima cum ultimis, & demum subverten-  
di destruendique omnem vetustiorum se-  
culorum memoriam &c. Hoc nimirum  
crimen est Ludevvigio judice *brevibus gya-*  
*ris & carcere dignum*, vetustatis monu-  
menta in examen vocare, non omnibus,  
quæ circumferuntur, passim fidem habe-  
re, fecernere spuria & adulterina a veris  
& genuinis, cuncta expendere ad pondus  
*sancuarii*. Quis sit orbis literati sensus  
de Actis Sanctorum, & piis simulque eru-  
ditis laboribus Bollandi, Henschenii, Pa-  
pebrochii & sotorum, non solum apud  
Orthodoxos, verum etiam heterodoxos,  
quos non vel sectæ suæ pertinax studium,  
vel livor & invidia, vel Jesuitas ubique  
criminandi libido transversum egit, su-  
pervacaneum foret pluribus persequi. Ve-  
rum commode accidit, ut Ludevvigius  
suis se se armis impetrat & jugulet. Nam  
dum ob pauca quædam diplomata & do-  
cumenta vetusta, quæ ex instituto im-


pugnat Papebrochius cum aliis, altum vociferatur, Jesuitas bellum indicere toti antiquitati, & carthaginis hujus eversores esse, ipse in libris suis passim diplomatica illa aut dubiæ aut malæ fidei accusat, & tanquam supposta rejicit, quæ Monasteriis, Ecclesiis, Episcopatibus & Ecclesiasticis Principibus favent, & authentica esse gravium Virorum judicio, & rationibus validissimis probantur. Tum vero, quod mirere Lector, homo iste vel sui prorsus immemor, vel malæ conscientiæ stimulis agitatus eadem in præfatione sua (e) ita pronunciat: *In primis vero Acta Sanctorum hac faciunt, quæ XII. voluminibus per menses totidem a Surio conscripta, sed plusquam Herculeo post conatu a Bollando, Henschenio, Papebrochio, & Sodalibus eorum innumeris accessionibus aucta & adornata sunt, extantque a Januario ad Junium mensem usque grandioris formæ volumina XXV.* In quo demum opere æternum duraturo dici & extolli satis non potest, quam immanis adseretur N. diplomatum & plenæ fidei documentorum adparatus. Profecto hæc quomodo in Scriptore, qui Critici partes sibi amplissime vendicat, quomodo inquam

co-

(e) *Pag. 110.*

cohæreant, non perspicio. Paullo ante dicit, Jesuitarum conatum in scribendis Sanctorum Actis esse pestilentissimum, latere consilium etiam plenæ fidei documenta imperendi, commiscendi omnia, & vetustiorum seculorum memoriam destruendi: postmodum vero Opus hoc æternum seu Acta Sanctorum extolli satis non posse, & diplomatum ac plenæ fidei documentorum immanni adparatu esse instructum palam fatetur. Non minore licentia, & criseos intemperantia idem Ludevvigius insurgit adversus Bartholomæum Germonium S. J. Virum notæ eruditionis, ac Papebrochii defensorem, quem tanquam antiquitatis hostem, & scriptorem nauci floccique non sine grandi fastu ac contemptu traducit. Verum longe aliud atque illustrius testimonium præbent Germonio Viri alii literatissimi, inter quos P. Honoratus Ord. Carmel. Criticus insignis, qui ait: *Germonii Jesuitæ, præcipui Diplomaticæ Mabillionianæ aduersarii dissertatio de Veteribus Francorum diplomaticis normæ esse potest iis, qui ad scribendum accedunt.* Et Auctor Ephemeridum Sapientum ad 7. Januarii 1704. in compendium redigens Dissertationem memoratam ita loquitur: „Quod ad rationem adtinet, qua „descripta est hujusmodi P. Germonii „dis-

„ *dissertatio, egregia plane est, omnibusque qui scribendi suscipiunt onus, exemplo esse potest. Res ad disputandum subjectæ eo sunt ordine digestæ, ut voluptatem legentibus ingerant; nitidus stylus est, purus, clarus, castigatus, & nullo involutus impedimento. Patris hujus differendi modus dulcis est, limatus atque alliciens, & moderatio ejus summa resplendet, nec non incredibilis eorum quoque habita ratio, in quos invehitur.* „ *Cætera recensitam heic litem istam diplomaticam inter gravissimos, qui ex utraque parte, ut vidimus, velitabantur Scriptores paucis diremisse videtur laudatus supra Honoratus, dum inquit Dissert. 4. Art. 14. Tom 1. Anmadversionum ad Criticam: Cum non defuerunt scriptores eruditæ, qui Diplomaticam Mabillonii artem vehementer impugnarent, alii contra non minus industrii eadem vi ipsius causam suscep- rint, quidam demum negotium hoc ad problema publici judicij revocaverint &c. Sed his missis, & illis quæ ad historiam rei diplomaticæ faciunt, quasi in vestibulo expositis, ad interiora hujus artis progrediamur.*



## CAPUT II. SCRIPTURA VETUS.

### §. I.

*Materia veteris Scripturæ.*

### VIII.

**A**d judicium de chartarum & diploma-  
tum genuina indole ac veritate fe-  
rendum ante omnia opus est nosse  
scripturam, characteres, & orthogra-  
phiam, quibus Veteres pro ævi varie-  
tate in ejusmodi instrumentis conden-  
dis, describendisque usi fuerunt. Haec  
enim ex re vel maxime cognoscitur vetu-  
stas ac temporum, queis confecta fuerunt,  
ratio: & prius est, ut inoffenso pede le-  
gere ea possis, quam ut judicium de illis  
atque sententiam feras. Difficile profe-  
cto negotium hoc reddit literarum, alpha-  
betorum, & scripturarum mira variatio,  
quæ singulis pene seculis apud diversas na-  
tiones se se prodidit. Quemadmodum  
enim temporum periodica mutatio ma-  
gnam semper vim exercuit in scientias &  
artes aliis aliisque modis figurandas, ita  
mi-

nirum non est, si eandem supra scripturas variandas potestatem obtinuerit, quum facilius nihil sit, quam mutare manum. Hinc recte Thomas Bartholinus (f) pronunciavit: *Mutantur calamis sicut pilei, quot homines, tot vultus indiscreti, tot manuum sensuumque differentiae: suo quisque genio litat, suoque modo docet & scribit.* Hujus autem de quanunc loquor, variationis cognitio e tripli potissimum fonte peti potest ac debet, nimirum e materie in qua scriptum; dein e characteribus, quibus scriptum est; item e forma scribendi, ita ut tota ferre ars discernendi MSS.a his tribus absolutatur.

*De materia* quidem, in qua scriptum est, pauca dicturo mihi non est animus aliorum more per omnia rerum genera, quibus Veteres animi sui sensa impressis characteribus commiserunt, evagari, uti erant arborum folia atque cortices, laminae plumbeæ, æreæ, tabellæ cera obductæ, quin & ligneæ atque eboreæ, coria piscium &c. Tria duntaxat considerare juvat, quæ ad institutum præsens faciunt, videlicet membranam, philyram, & chartam. Membranarum usus erat antiquissimus, & quoque suo multum ex-

ces-

(f) *Dissert. 5. de legend. libr. 5.*

cessit chartam, quam aliqui primum Alexandri M. temporibus natam fuisse tradunt, dum alii membranas Pergami ab Eumene Rege inventas esse contendunt, utrique tamen incerta fide. Certius videtur esse testimonium illud Josephi scribentis, membranaceos antiquissimos libros ab Eleazaro Judæorum Pontifice ad Ptolemæum Philadelphum Regem fuisse missos. Certe apud Græcos ipsos proverbium invaluit, ut si rem vetustissimam indicare vellent, *dipthera*, (id est membrana) *antiquorem* esse dicerent. Membranæ autem vocantur, quod sint pelles, pecudum, præcipue ovium, membris deglubitæ, quæ pilis abrasis, vel calce aliove succo acido ablatis interiore parte qua carnem aperiunt, in subtilissima folia tenuantur. Modum quo ad scribentis calamum & characteres facile admittendos parantur, apte describit Petrus Blesensis (g), dum de membranaceo Codice inquit:

„ Audi libri compositionem, ut & om-  
 „ nia in corde tuo comparare studeas,  
 „ (scilicet mystice ad chartæ similitudi-  
 „ nem) Prius traditur rasori, ut cum  
 „ rasario omnem superfluitatem, pin-  
 „ guedinem, scrupulos & maculas tol-  
 „ lat; dein supervenit pumex, ut quod  
 „ ra-

(g) *Inserm. de Nativ. Dom.*

„ rasio auferre non potuit, pumice de-  
 „ leatur, scilicet pili & talia minuta;  
 „ ad hæc antequam scribatur, opus est  
 „ regula, ne tortuose ducatur linea. „  
 Sed non ex ovium duntaxat, verum et-  
 iam e piscium pellibus scite laboratis  
 olim confectæ fuerunt membranæ, ut  
 scripturæ servirent, cujus rei testes ido-  
 neos habemus Zonoram (h) & Cedre-  
 num (i), quorum primus scriptam fuisse  
 narrat Iliadem totam, & Odysseam  
 Homeri in draconis intestino: alter ve-  
 ro his verbis idem confirmat, dum ait:  
 Basilio Imperatore ortum fuisse Con-  
 stantinopoli incendium, quod Basilicam  
 devoravit, in qua fuit Bibliotheca lib-  
 rorum millia centum viginti continens,  
 quos inter erat draconis intestinum pe-  
 des CXX longum, cui Homeri poema-  
 ta, Ilias & Ulyssea aureis literis fuerunt  
 inscripta cum historia rerum a Heroibus  
 gestarum. Atque in his quoque piscium  
 pellibus in membranas attenuatis Diplo-  
 ma Hugonis & Lotharii Italiæ Regum  
 scriptum deprehendit Puricellus (k),  
 quumque diligentius archetypum illud  
 cum aliis Imperatorum Regumque di-  
 plo-

(b) *Lib. 3. Annal.* (i) *Hist. de Basil. Imp.*

(k) *Lib. de Ambrostante Mediolanensis Ecclesiæ monumentis.*

plomatibus authenticis contulisset, ea pariter, inquit, visa nobis fuerunt in corio piscis, & aureis literis conscripta; proinde ac si bac ipsa praerogativa conscribi ea olim honoris gratia solerent. Cur vero membranæ scripturis, quas perpetuas esse volebant earum Conditoris, adhibitæ fuerint, facilis est conjectura, quum quotidiana doceat experientia, membranas reliquis omnibus materiis ess potiores, utpote in quibus exaratos plures antiquissimos codices multis jam dudum seculis ad nostram usque ætatem adhuc incorruptos pervenisse conspicimus.

Membranam excipit Philyra seu Philura, quæ a Græcis quidem dicitur arbor, quam Latini tiliam vocant. Plinius tamen (l) philyram nuncupat membranam tenuissimam inter corticem & lignum tiliæ arboris, e qua coronarum lemniscis conficiebantur. Ejus verba sunt: „ In- „ ter corticem & lignum tenues tunicæ „ sunt multiplici membrana, e quibus „ vincula tiliæ vocantur, tenuissimæ „ earum philyræ coronarum lemniscis „ celebres, antiquorumque honore. „ Non solum autem lemniscis, sed vel maxime scripturis serviebat cortex iste, uti te-  
sta.

(1) Lib. 16. c. 14.

statutus Martianus (m) dicens: *libri in philyra cortice subnotati.* Et Plinius (n): *Præparantur ex ea chartæ acu divisæ in prætenues, sed quam latissimas philyras.* Ex hujusmodi cortice magnum volumen confectum (chartam Securitatis regiæ dicunt) adseratur in Cæsarea Vindobonensi Bibliotheca, vidique ipse ibidem inserta tabulis varia in corticibus ejusmodi scripturarum vetustissimarum monumenta.

Charta demum, prout membranæ ac philyræ opponitur, duplicitis potissimum generis est, videlicet una e caule fructicis Ægyptiaci, quam idcirco nonnulli chartam Ægyptiacam & Niloticam adpellant: altera, quæ ex linteis contritis facta est, qua hodieque utimur. Primæ materiem subministrat ut dixi caulis arbusculæ, papyrus græcis dictæ, quæ in Ægypti præcipue pa-  
lustribus nascitur. Ejus folia in modum viminis longa extenduntur, quibus in trans-  
versum imposita obductaque sunt alia ejus-  
dem fructicis folia velut opere textorio,  
quæ glutine quodam oblita, ac ita demum  
lævigata scriptioni serviunt. Vetustatem  
chartæ hujus probant tum plures codices  
omnino antiqui in eadem exarati, & adhuc  
superstites, tum Romani fasti, qui de va-  
riis

(m) *De nuptiis Philolog.* (n) *Lib. 13.*

riis chartarum ejusmodi speciebus meminerunt, veluti chartæ *Augustæ*, chartæ *Liviae*, *Claudiae*, quæ omnium optima fuit, vilissima vero *Emporetica*, qua negotiatores ad merces involvendas utebantur. Quamdiu autem perseveraverit charta hæc Ægyptiaca, ejusque usus, non conveniunt inter se Scriptores: satis certum esse videtur, adhuc post Christum natum eam fuisse adhibitam, dicente Dioscoride, qui Plinio sere æqualis fuit (o): *Papyrus nota est omnibus, ex qua charta conficitur.* Quin Mabillonius Ægyptiacæ papyri usum seculo adhuc septimo, nono, & ultra viguisse contendit, adferens (p) partim testimonium Milonis Elnonensis Seculi IX. Monachi, qui in supplemento ad vitam S. Amandi prodit, Martinum Papam ad Amandum misisse Synodi Romanæ exemplar in papyraceis scbedis, quo nomine charta papyracea intelligitur, quæ nudo papyri nomine apud veteres designari solebat: partim Pontifices Hadrianum I. Joannem VIII. Marinum, Innocentium III. aliosque, qui ejusmodi pupyraceis chartis usi sunt in concedendis privilegiis. Ne vero hæc charta oppido subtilis & tenera vitium a vetustate pateretur, singulis vel pluribus foliis membranas interiecerunt,

ut

(o) *Lib. x. c. 116.* (p) *L. i. c. 8.*

ut tam facile deteri nequirent. Hac industria factum, ut e papyro ista codices etiamnum in celebrioribus bibliothecis, ipsaque Vindoboniensi superstites reperiantur. Jam vero charta seu papyrus, quan nos utimur, e veterum linteorum reliquiis contritis, maceratis, ac in pollē redactis composita seculo primum XI. vel XII. comparuisse videtur, utpote quo posteriore vi-xit Petrus Mauricius, Abbas Cluniacensis, qui (q) libros suo tempore lectos fuisse memorat ex rasuris veterum pannorum compactos. Fuit equidem jam olim chartæ genus, de quo Titus Livius, aliisque Scriptores Romani meminerunt, e linteis, non tamen tritis & ut nunc coagulatis, sed integris & glutine quodam firmatis confectum; in qua tela linteal, qualem hodie pictores adhibent, scribebatur. Chartæ autem huic nostræ, seu vulgari, vix ullæ diplomata vel instrumenta publica inscripta reperiuntur, bene tamen epistolæ, chirographa, aliaque minoris momenti: quin etiam non pauci sunt, qui integros libros & codices in charta vulgari scriptos vix seculum XIV. excedere arbitrantur. Hæc de materia, in qua scriptum est:

## §. II.

(q) In Tract. contra Iudeos apud Mabillonum.

## §. II.

*Characteres veteris Scripturæ.*

## IX.

Nunc agendum de characteribus seu literis, quibus olim scriptum fuit. Eadem profecto sors fuit literarum, quæ linguæ ipsius latinæ, cæterarumque artium bonarum. Hæ enim e rudibus initiis, & velut agrestibus cunis egressæ, postquam accedente sedula cultura ad justam ætatem suam perfectionemque pervenerunt, demum rursus urgentibus fatis in pristinam rudem formam inciderunt seculis illis, quibus barbaries quasi soluta dominabatur. Certe aurea ætate literas latinas ad omnem elegantiam factas in ævi illius numis, saxis & inscriptionibus priscis, quæ communem temporum cladem evaserunt, etiamnum conspicere licet. Verum barbaris gentibus Romanum Imperium inundantibus, uti reliquæ artes, ita & literarum cœconomia ac orthographia magnis passibus in deterius ire, corrumpi, foedarique cœpit, donec rursus posteriora hæc secula priorum vitia emendarunt, remque literariam cum fœnore quodam restituerunt. Quantum vero ad nostrum de re diplomatica institutum adtinet, sex potissimum genera scripturarum considerare juvat, nimirum

Ro-

Romanam veterem, Gothicam, Longobardicam, Francicam, Anglo-Saxonicam, & Germanicam, quamvis fateri oporteat, non esse plenam hanc divisionem, quum omnes scripturarum species, quæ in vetustis libris ac monumentis occurrunt, ad hæc genera revocari non possint; quin etiam in his ipsis per singula pene secula quædam fuerint mutata, perpetuo variantibus hominum manibus in scribendo, æque ac linguis in loquendo.

*Romana* scriptura primæ ætatis (Tab. I. 1. 2. 3.) iisdem fere, si unam alteramve excipias, literis gaudebat, ac nostra latina major, quam idcirco etiam nunc Romanam adpellare solemus, ita ut merito dici possit, primam Romanorum scripturam post tot variationes ac sordes, quas barbaricæ gentes, malique scribæ medii ævi in eam intulerunt, uno & quod plus est, abhinc seculo integritati suæ velut postlimino restitutam fuisse. Duplex autem Romanæ scripturæ genus adsignant plerique Scriptorum, cui tertium quoque addit Mabillonius: ad unum tamen omnia tria facile reducuntur, quum non tam forma, quam sola magnitudine differant, quemadmodum ulna a semissi, & quadrante. Aliqua igitur scriptura constabat literis grandibus, quas *unicales* vocabant. Harum mentionem fa-

cit D. Hieronymus (r), dum ait: *Habeant qui volunt veteres libros, vel in membranis purpureis auro argentoque descriptos, vel uncialibus (ut vulgo ajunt) literis, onera magis exarata, quod codices: dummodo mibi meisque permittant pauperes habere schedulas & non tam pulchros codices, quam emendatos.* Dictæ autem fuerunt *Unciules*, quoniam uncia est pedis pars duodecima, ad cujus mensuram hæ literæ formabantur. Quippe definitum fuisse illis certum magnitudinis terminum satis constat ex epistola Luppi Abbatis Ferrariensis (s), in qua mensuram literarum maximarum & uncialium, quæ penes Regium scriptorem Bertcaudum adservaretur, in schedula diligentissime clausa descriptum mitti sibi postulat. Operosa tamen hæ maximarum literarum scriptura non passim adhibebatur a Romanis, aliisque post ipsos, sed usui erant in inscriptionibus veterum monumentorum, atque in libris ad pompam ostentandam descriptis, in quorum una duntaxat facie characteres isti grandes adparabant, altera relicta intacta. Quandoque etiam nonnulli ultra hanc mensuram progressi sunt, & literis, quas Plautus *cubitales*, nos *Trabales* & *Sesquipedales* vocare

(r) *Pref. in Job.* (s) *Epist. 5. ad Eginhardum.*

re solemus (id est, enormis magnitudinis) libros suos, maxime librorum titulos, horumque gramma primum insignivere. Alia erat scriptura, quæ literis minoribus quidem fiebat, majusculis tamen, quas *Semiunciales* dicere fas est. His antiquissimi codices fuerunt exarati, ut Codex Virgilianus Medicæus, codex Evangeliorum, & Theodosianus, adservati in bibliotheca Heripolensi. Demum quædam fuit minuta, & minutissima, in familiaribus scriptionibus usitata, rotundis constans literis, non quod in sphæræ modum obvolverentur, & a majusculis essent diversæ, sed quod ob scribendi celeritatem quasi in globos curvarentur: ejusmodi videntur fuisse, quarum meminit Suetonius (t), dum refert *Eiusdem Caligulae legem scriptam esse minutissimis literis & angustissimo loco, ut ne cui describere liceret.* Atque hæc, ut ita dicam, tria scribendi genera viguerunt apud Romanos usque ad seculum V. post quod

*Gothica* scriptura cœpit invalescere. Nam inclinante Romano Imperio, magnisque passibus in occasum properante, dum omni ex parte barbari locustarum more Italiam invaderent ac depopularentur, Goths de-

(t) *In Caligula.*

demum regno Italico potiti sunt. Hi nomini Romani odio implacabili flagrantes, nec contenti ut Imperium susdeque veterent, destruerent monumenta maiestate ac vetustate plena, & in ipsos etiam tumulos ac saxa fævirent; non inquam his contenti in linguam quoque & scripturam latinam non modicam stragem intulere. Nam vel abjectis literis Romanis suas satis inconditas substituerunt, vel quum omnem latinitatem eradicare non possent, bene multas e suis immiscendo illam magnopere vitiarunt. (Tab. II. 1. 2.)

*Longobardica* scriptura non minus quam *Gothica* Romanæ veteri ac puræ infesta fuit. (Tab. III. 3. 4.) Nam Longobardi, qui Gothis regno Italico exutis successerunt, per varias ejusdem provincias suam, id est, barbarem scripturam & characteres disseminarunt. Tum *Gothica* in Hispaniam ablegata, & *Longobardica* per Italiæ dominante, utraque intra fines suos ad seculum usque XII. duravit; id quod de *Longobardica* patet teste Mabillonio ex bulla Paschalis II. Dionysianis Monachis concessa, & ex Bibliotheca Cassinensi, in qua opuscula Guaiferii charactere isthuc ab annis circiter sexcentis exarata habentur. Certe septimi & octavi seculi codices si non omnes, plurimos saltem, præsertim Ita-

**Italicos, Longobardicis literis scriptos inveniri idem Mabillonius afferit.**

*Franco-Gallica* scriptura originem suam debet Francis, postquam Imperium diu velut ventorum turbine agitatum & fluctuans ad ipsos delatum est. Erat autem hæc scriptura varia pro varietate stirpium Regiarum, scilicet Merovingicæ, Carolingicæ, & Capetingicæ. (Tab. II. 3. 4. Tab. IV. 3. 4.) In diplomatis Merovingicis ac instrumentis publicis fere ejusdem formæ scriptura minutior fuit adhibita: at in vetustis ejus ætatis libris sæpius Romana major occurrit. Verum hæc Merovingica sensim multo politior & in formam elegantiorem mutata comparuit Caroli M. temporibus; quin sub Carolinis Regibus Romanus character major in pristinam illam aureæ ætatis formam proxime restitutus est. Demum ineunte Capetiorum principatu circa annum 987. etiam Romana minutior, quæ foedum in modum depravata fuit, emendari magisque excoli cœpta est, retentis tamen sinuosis & oblongis literarum ductibus. (Tab. XV. & XVI.)

*Anglo-Saxonica* scriptura antiquos admodum natales habet, & quum ab Anglo-Saxonibus in Germaniam multasque alias provincias Catholicæ fidei lumen illatum fuerit, mirum non est, quod complares na-

tionis hujus characteribus descripti codices in Germaniam pervenerint, vel certe a Monachis Anglo-Saxonibus in ea commorantibus exarati fuerint. (Tab. III. 1.2.) Erat autem character iste lectu difficilimus ob literas minutis, contortas, & inter se implexas, ita ut S. Bonifacius, ille Apostolus Germaniae, qui Cœnobium Fuldense, ac duos Episcopatus Heripolensem & Euchstettensem condidit, epistola tertia ad Daniellem Episcopum Wentanum data doleat, *se caligantibus oculis minutis ac contextas literas discere non posse: optat binc sibi transmitti a præfato Episcopo in senectutis solatium libros claris, discretis, & absolutis literis scriptos, quales in hac terra (nempe Germanica) acquirere non poterat.*

*Germanica quemadmodum lingua, ita & scriptura alia fuisse videtur primorum temporum: alia posteriorum. Fuerunt, qui omnia, quibus hodie utimur, vocabula a se ipsis, & veteri lingua Celtica (Celtarum nomine olim veniebant Hispani, Galli, Britanni, Illyrici & Germani, quibus omnibus unam fuisse linguam Philip- pus Cluverius Germanicæ antiquitatis peritissimus testatur) a veteri inquam lingua Celtica fuisse velut e fonte accepta asserunt. Sed ut Vossius ait: „Hæc non di-*  
*,, cerent,*

„ cerent, si scirent, longe aliam fuisse Teutonicam linguam priscam, cuius bona pars deperiit: aliam postea receptam, quæ multa admisit exotica, & ita admisit, ut vetera paullatim venerint in oblivionem.,, Eadem mens est Aventino dicenti: *Maxima in nostra lingua est mutationis, adeo ut ea, quæ olim fuerit, ægre etiam peritus intelligat.* Primam mutationem passa est, quando Græcorum migratio & sermo in Europam Celticam incubuit, ita ut non solum ab iis plurima vocabula acceperint Germani, sed etiam in publicis privatisque negotiis literas græcas adhibuerint: qua de re Tacitum testimonia habemus (u): *Monumenta & tumulos quosdam græcis literis inscriptos in confinibus Rhætia & Germaniaæ adhuc existare: ac Cæsarem (x): Neque fas esse existimant, ea literis mandare, quum in reliquis fere rebus publicis privatisque rationibus græcis literis utuntur.* Alteram fecere mutationem Romani, ubi viæ tricibus armis magnam Germaniæ partem emensi more suo una cum iugo linguam Romanam populis devictis imposuere, quemadmodum de provinciis trans Danubium sitis, deque Rhætia prima, & secun-

(u) *De mor. Germ.*(x) *De bell. Gallic. l. 6.*

secunda Beatus Rhenanus (y) testatur. Verum quum lingua hæc Romana populo adhuc in culto & aspero pronunciatus per quam difficultis accideret, mox tertia mutatione facta prodiit aliis sermo, quem vulgo *Provincialem* sive *vulgarem* adpellarunt: Sed & hanc labentibus Romanorum rebus, & Francis (gente Germanica) ubique dominantibus Germani reliqui & Alemanni fastidire cœperunt, veteremque gentis linguam e ruinis atque cineribus revocare, retentis tamen nonnullis vocabulis, quæ Lipsius (z) recenset. Atque hæc lingua *Teutifica* seu *Theotifica* dicta fuit, quæ Provinciali honestior ac nobilior habebatur, quum Provincialem vocarent *Rusticam*, ac plebi relinquendam censerent. Quartæ mutationi ansam præbuit Carolus M. qui rerum potitus, uti de bonis artibus & literis, ita de germanico sermone præclare meritus est, dum variis in locis scholas erexit, ac linguam *matri-cem*, quæ Germanica fuit, e tenebris protulit, obsoletis purgavit verbis, novisque auxit vocabulis, uti Sigebertus meminit (a). Certe Trithemius memorat, obtigisse sibi partem Grammaticæ Teutonicæ

(y) *Lib. 2. rer. German.* (z) *Cent. 3. ad Belgas epist. 44.* (a) *In Chronicis ad annum 749.*

nicæ a Carolo concinnatæ inspiciendam : sed characteribus tam informibus sqallen- tem, ut a nullo mortalium legi atque in telligi posse crederet. Dum hac ratione labor Caroli cassus esset, latinus, ut antea, sermo scribendis atque tractan- dis rebus qua privatis qua publicis adhibebatur (Tab. XI. 1.) ferme usque ad tempora Friderici II. Imp. quo regnan- te quinta demum mutatio facta est. Quip- pe superatis omnibus difficultatibus lingua Teutonica suis exarari scribique literis, atque in tribunalia, Curias & Aulas inve- hi cœpit : hujus Imperatoris vestigiis in stitere Rudolphus I. & Maximilianus I. qui publico edicto sanxerunt, ut quæ Ro- mano olim sermone, nunc Teutonum lin- gua ederentur. Denique Caroli V. ævo barbaries omnis abstensa fuit, & sequenti- bus annis tam lingua hæc quam scriptura ad magnam, qua hodie fruimur, elegan- tiam est perducta. Tremula vero scriptu- ra, in majoribus saltem literis, inventa est imperantibus Ottonibus sèculo X. (Tab. XI. 2.) Hæc omnia tamen de codicibus & diplomatis latino charactere scriptis sunt intelligenda.

## §. III.

## Forma scribendi.

## X.

Exposita materia, & characteribus scripturarum venio ad formam scribendi, quæ in veterum chartis, codicibus, & diplomatis etiamnum hodie elucet. Hæc autem potissimum in orthographia, interpunctis, vocibus breviatis, & modo ac ordine scriptionis consistit, quæ singula paucis exponam. *Orthographiæ*, quæ recta literas formandi ratio est, tanta reperitur diversitas, quanta sæculorum, quum in quolibet fere sæculo alia aliaque occurrat, nulla publica sed solum privata scribentium auctoritate, seu potius placito usuque introducta, manu linguae barbariem & inscritiam perpetuo comitante. E plurimis pauca delibo, exempli loco in aliis servitura. A. litera absque lineola media ut plurimum scripta deprehenditur  $\text{A}$  non raro etiam cum incumbente superius linea  $\text{A} \cdot \cdot \cdot$  litera B. pro P. in antiquioribus codicibus legitur, qui mos Longobardorum erat, uti *Brætor* . . . Litera C. cum litera Q. permutata fuit: *Cottidie*, *Anticus*: item cum G. *Evangelium*: rursus cum T. *Oracio* . . . literam F. loco PH. adhi-

adhibuerunt Romanorum more, ut *Triumfus*, *Filippus* . . . Litera H. tum quæ initio, quum quæ in medio alias poni solet, sœpius omissa fuit: *Ortus* loco hortus, *ypocrisis* pro *hypocrisis*: *peribetur* loco perhibetur: aliquando adjecta, ut *babundabit* pro *abundabit*: *Hludovicus* pro *Ludovicus* . . . Litera K. posita in vicem C. *Karolus*, *Kalumnia*, vel etiam in vicem H. *Kymnus* pro *Hymnus* . . . Literam O. attexuerunt literæ U: *Oudalricus*, aut interjecerunt: *Altuo* pro *Alto* . . . Litera S. non raro utebantur pro X. ut *es- scellenti* loco *excellenti* . . . Litera U. munus literæ O. obivit: *Epistula*, *Cænubium*; aliquando interiecta fuit, veluti *Chuonradus* . . . Litera Y. per I. simplex crebrius scripta fuit: *Ægyptus* . . . Diphongus Æ. æ. modo per A & E, a. e. separata, modo Æ. æ. conjuncta, modo per ç caudatum expressa invenitur: *Caesar*, *Cæsar*, *Cefus*. Illud quoque notatu dignum, quod olim præpositiones ita fuerint ante verba composita collocatæ, ut nulla literæ sequentis mutatio interveniret. v. g. *Inlustris*, *Con- laudo*, *adfectio*, *obfensus*, quas voces, uti & alias similes posteriora secula ut emollient eorum pronunciationem, scribere solebant duplicando sequentem literam, abjiciendoque priorem: *Illustris*, *collando*, *affe-*

*affectio, offensio.* Sed hac ætate non pauci antiquitatis studiosi priscum has voces scribendi morem revocare videntur.

## XI.

*Interpunctiones*, quas Cicero nominat interpuncta, sunt certæ notæ, quibus scriptio velut in partes secatur. Evidem non omnis interpungendi ratio ignota fuit veteribus, dicente Aristotele (b): *Scripta Heracliti interpungere operosum est, quia incertum, utri vox conjungenda, an priori an posteriori &c.* ac Cicerone, qui Crassum inducit loquentem: *Non librarium notis, sed verborum & sententiarum modo interpunctas clausulas in orationibus veteres esse voluerunt* (c). Apud Græcos ante Aristophanem perpetuo quodam tractu vox vocem sequebatur, ipsæque etiam sententiæ eandem intra lineam producebantur, usque dum finitæ perfectæ fuerint; tum mox alteram auspicabantur alia linea, eodemque modo ad finem perduxere, ita ut aliquando duas, interdum tres aut quatuor lineas una occupet; quemadmodum etiam hodie vides multas sacras Scripturas, & in horis Canonicas, quas *Breviarium* vocant, Psalmos Davidicos typis impressos, hoc discri-

mi-

(b) *Rhetor.* l. 3. c. 5. (c) *De Oratore* l. 3.

mine, quod hic non solum sententiae sint separatae, sed ipsae quoque interpunktis distinctae. Has autem sententias ita terminatas Græci *sixus*, quod ordinem sulcorum aratro ductorum significat, Latini vero *versus* nuncuparunt a versione aratri, quæ metaphoræ lineis certe solis convenit. Unde etiam ortum esse videtur verbum *exarare*, quod idem est ac scribere. Quum vero primi apud Græcos omnium testimonio fuerint Poetæ, qui scripsere, primi etiam versibus usi sunt, ita ut uno versu unum metrum complecterentur, & una linea unum versum absolverent. Ab his sumto exemplo reliqui etiam scriptores prosæ orationis suas lineas, intra quas una continebatur sententia, versus adpellasse videntur. Atque inde nata est prima distinctio per versus, qui maiores vel minores erant, prout sententia pluribus vel paucioribus verbis absolvebatur. Horum versuum summam ad finem subductam exhibebant libri, ut tradit Justinianus in binis Constitutionibus (d), *veteres Jurisconsultorum libros ad trecenties millia versuum excurrisse*. Tum vero Aristophanes modum, quo eodem in versu periodi & cola distinguerentur, invenit, ac notas ad intervalla signan-

(d) *De Concept. & Confirm. Digestorum.*

signanda commentus est. Primam Latini, qui a Græcis accepere, vocarunt *Distinctionem*, alteram *Subdistinctionem*, tertiam *Medianam*. *Distinctio* punctum erat, quod in apice ultimæ vocis alicujus, in quam periodus desit, literæ collocabatur, v. g. ESSE VIDETUR. *Subdistinctio* posita erat in imo literæ parte v. g. ESSE VIDETUR. *Mediana* ad mediam ejus partem v. g. ESSE VIDETUR. Hunc distinctionum in solis punctis consistentium usum in sacrum quoque codicem induxit D. Hieronymus, novo ut ipse ait (e) scribendi genere, secutus exemplum Demosthenis & Ciceronis, *Quia idem in Demosthene & Tullio fieri solet, ut percola scribatur & commata.* Verum tunc temporis omnis interpongendi ratio facta est duntaxat per punctum, suis tamen locis variatum: superius, medium, & inferius, uti docet Lipsius (f). Quare punctis singulis tota distinctio & subdistinctio librorum constabat tam apud Græcos, quam apud Latinos, quibus nostra puncta singularia, quæ sententiæ absolutæ nota sunt, & virgulæ ac duo puncta, quæ sententiam nondum esse integrum ostendunt, sed veluti suspensum tenent, prorsus erant ignorata. Hæc clare

Illi-

(e) In pref. ad translat. Isaiae. (f) Cent. 3.  
epist. miscell. 39.

Isidorus (g) describit, inquiens: *Sunt tres posituræ, prima subdistinctio dicitur eadem & COMMA: media distinctio sequens & ipsa est COLON: ultima distinctio, quæ totam sententiam claudit, PUNCTUM.* Frequentior postmodum usus distinctionum invaluit seculo VII. ubi finis periodi ut plurimum puncto notatur. Continuatus hic mos seculo VIII. ubi etiam commata quædam comparent. Plenior & constantior demum consuetudo se prodidit sub Carolo M. qui Præceptoris sui Alcuini & Warnefridi opera eandem in codices induxit. Certe prioris elegans monitum exstat discipulis suis relictum (h) scilicet ut

*Per colas distinguant proprios, & commata versus,*

*Et punctos ponant ordine quosque suo.*

Cætera ad hunc usque Imperatorem inscribendis tum diplomatibus tum libris nullam sere verborum distinctionem factam fuisse a Notariis testatur Mabillonius. Et si quæ hinc inde oceurrat, tam rara est, simulque loco tam iniquo posita, ut velut per errorem calami id contigisse videatur.

## XII.

*Voces breviatæ, quas abbreviationes vulgo dicimus, sunt compendiariæ scripturarum*

(g) *L. I. origin. c. 19.*

(h) *Epist. 15.*

rum notæ. In hac scribendi forma tripli-  
cēm viam inierunt Prisci, nimirum vel per  
notas, vel per utrasque. Nam notæ, ut  
multi existimarunt, sed perperam, non sunt  
literæ, sed *Sigla*, quod latinum est voca-  
bulum, ut recte observavit Petrus Grego-  
rius Tolosanus, eruditus in paucis Juris-  
consultus (i), contractum ex Sigillo, quasi  
dicas *Siglum parvum sigillum*. Quemad-  
modum enim *Sigillum* est parva icuncula,  
qua literas obsignamus, ita *Siglum* est no-  
ta, qua intelligitur plus esse legendum,  
quam expresse scriptum sit. Primum ita-  
que scripturæ compendium siebat per has  
notas seu sigla, quæ integras voces designa-  
bant, dicebanturque *notæ Tironis*. Tiro  
enim Ciceronis libertus eas excogitasse  
fertur, auxisse vero Seneca. Ejusmodi  
nota seu siglum erat *W* quod mundum,

*M* quod modum, *I* quod tempus signi-  
ficabat: *S* quod Senatum Populumque  
Romanum, *C* quod Senatus consultum  
indicabat. Atque notarum istarum bene-  
ficio citata oratio excipiebatur, ut loqui-  
tur Seneca, & angusta pagina libri vasti ar-  
etabantur. Nam hac ratione tum dictan-  
tium verba, tum describendorum librorum  
exemplaria incredibili celeritate adsecuti  
sunt scribæ, ut Martialis scite canit (k):

*Cursus*

(i) *L. 16. de Repub. c. 1.* (k) *L. 14. epigram*

*Current verba licet, manus est velocior  
illis,*

*Nondum lingua suum, dextra peregit  
opus.*

Et Prudentius (l) :

*Raptimque punctis dicta præpetibus  
Sequi.*

Frequentissimus autem usus notarum erat apud Romanos: quin & a Christianis auctæ fuerunt, ita ut integra quoque Psalteria, quæ vocant, priori ævo ejusmodi notis scriberentur. Sed quod beneficium erat scripturæ apud alios, in maleficium grande transiit apud Leguleios & Notarios. Nam & Jurisperitorum libri & Instrumenta publica similibus notis, sæpe recens inventis, olim scatebant, quas vero ob pessimum abusum & fraudes plurimas severe prohibuit Justinianus Imperator, dum lege sanxit (m): „ Ne per scripturam aliqua „ fiat imposterum dubitatio, jubemus non „ per siglorum captiones & compendiosa „ ænigmata (quæ multas per se, & per „ suum vitium antinomias induxerunt) „ ejusdem codicis textum conscribi (n). „ Ean-

(l) *De S. Cassiano.* (m) *L. I. Cod. tit. 17.  
de veteri iure enucleando. Leg. I.* (n) *Ebd.  
tit. leg. 2.*

„ Eandem pœnam falsitatis constituimus  
 „ aduersus eos, qui in posterum leges no-  
 „ stras per siglorum obscuritates ausi fue-  
 „ rint transcribere. . . . Neque enim li-  
 „ centiam aperimus ex tali codice in Ju-  
 „ dicium aliquid recitari, qui in quacun-  
 „ que sui parte siglorum habet malitiam  
 „ &c „. Nihilominus longiore post tem-  
 pore in codicibus Juris remansit usus eo-  
 rum, quæ sœpe imperitis crucem figunt. Ho-  
 die tamen Juris consulti hujusmodi notis  
 solum utuntur in *allegationibus*, & in his  
 quidem admodum parce. Cæterum notas  
 Tironis, de quibus dixi, e tenebris in lu-  
 cem protraxere Isidorus (o), Golzius,  
 Manutius, Lipsius, Mabillonius: præcipue  
 vero Gruterus (p), qui copiosum earum  
 catalogum exhibet. Ex his, quæ ad quin-  
 que millia excreverunt, quædam in codi-  
 ces vulgari more exaratos breviandarum  
 vocum caussa traductæ sunt: in diploma-  
 tibus quandoque ac potissimum in eorum  
 subscriptionibus occurunt. Alterum  
 scripturæ compendium veteres adhibue-  
 runt, literam duntaxat unam primam, vel  
 tres, aut plures cujusdam vocabuli, quod  
 exprimere volebant, signando; cujus rei  
 exempla e quam plurimis aliqua alphabeti  
 or-

(o) L. 3. de etymol. c. 11.

(p) in Inscript. ad finem.

ordine proferre juvat, A. A. V. C. Anno ab  
 urbe condita. A. B. V. Arbitratu boni Viri.  
 B. F. Bona fide, bona fortuna. B. R. P. N.  
 Bono Reipublicæ natus. C. C. C. Censa ci-  
 vium capita. CUNC. Coniux. COM. B.  
 Commune bonum. D. B. I. Diis bene juvan-  
 tibus. DEDD. Dedicavit. DIG. M. Di-  
 gnus memorin. E. B. S. Exbonis suis. EX.R.  
 Exactis Regibus. F. D. Fide data. FOR.  
 Forum, Forte. GL. R. Gloria Romano-  
 rum. GR. D. Gratis dedit. H. M. P. Hoc  
 monumentum posuit. H. L. S. Hoc loco se-  
 pultus. I. M. Immortalis. INL. Inlustris.  
 K. IAN. Kalendæ Januarii. K. C. Char-  
 tago Civitas. L. AGR. Lex Agraria.  
 L. C. S. Locus Sacer. M. A. Memori animo.  
 M. EQ. Magister Equitum. N. Q. Nus-  
 quam. NAT. GAL. natione Gallus. OB.  
 Obiter. O. E. R. Ob eam rem P. C. Pa-  
 tres conscripti. P. C. N. Posuerunt cont-  
 muni nomine. Q. Quintus, Quirinus,  
 Quæstor. Q. D. E. R. F. P. Quid de ea re  
 fieri placet. Q. V. A. Qui vixit annis.  
 R. G. C. Rei gerendæ caussa. ROM. RED.  
 Roma redux. S. A. Salus. S. P. Q. R. Se-  
 natus Populusque Romanus. S. C. Senatus  
 Consultum. S. D. S. Soli Deo sacrum.  
 S. OF. Sine offensa. T. P. Titulum po-  
 suit. TR. MIL. Tribunus militum. V. BF.  
 Vir bonæ fidei. V. D. L. Videlicet. V. S.

*Votum solvit.* X. *Decimus.* *Denarius.*  
*XBER.* *December.* Ex his duobus scriben-  
di compendiis natum est tertium, veluti  
*ex utroque* (notarum scilicet & literarum)  
conflatum. Exempla hujus sunt *ATR.*  
*Auctoritas.* *BT.* *Brevi tempore.* *9VS.*  
*consensus.* *C9NS.* *Cautiones.* *EX9*⁹.  
*Existimationi.* *H.* *Hora.* *X.* *Inter.*  
*H.* *Interea.* *L.* *Locus.* *R.* *Rex.* *NE7.*  
*Necessè est.* *X.* *Decies.* *F.* *Trans.* &c.  
Præter hæc alia quoque uti frequentior in  
Codicibus & Diplomatibus, ita lectu lon-  
ge difficilior syncopandi ratio priscis in usu  
fuit, dum vel vocibus dimidiatis, vel lite-  
ris inter se implexis, vel adjectis diversis  
calami ductibus, vel characteribus sursum  
& deorsum adpositis scripserunt. In hoc  
scribendi genere potissimum sese exerce-  
runt Viri Religiosi in Cœnobiis circa se-  
culum XIV. describentes in membranis  
sacros & profanos auctores, quorum ma-  
gna pars non tam scribendi elegantia, quam  
celeritati per notas & vocum *breviations*  
operam dederunt; unde postea natæ sunt  
tot lectionum varietates, tamque contra-  
riæ criticorum sententiæ: & quod pejus est,  
ob male lecta codicum authographa, & sic  
descripta, omissis etiam quandoque inte-  
gris lineis, quæ legi non poterant, multi  
errores in historiam irrepserunt, immo &  
gra-

graves circa Diplomata & Instrumenta publica lites in tribunalibus sunt excitatæ. Sed hæc, de qua dixi, syncopandi ratio tam varia fuit, ut singulis pene seculis, & in quovis rursum alia aliaque prodierit forma, ita ut certa regula tradi haud possit, sed ex ipsis seculorum scripturis addisci debeat. Non pauci scriptorum tabulas diversissimorum scripturarum ediderunt, uti Joan. Bapt. Palatinus Romanus, Petrus Hamon Regii Cubiculi Notarius regnante in Gallia Carolo IX. Fr. Jacobus Bonaventura Hebprunus Scotus, Daniel Eberhardus Baringius, ipse Mabillonius. Maximum tamen obsequium hoc in negotio nobis præstítit Joannes Ludolphus Waltherus, qui Lexicon Diplomaticum Göttingæ edidit An. 1745. plenum ejusmodi *abbreviatiōnibus* secundum seriem seculorum. Ex his fragmenta quædam singulis scripturis, seculis, & Diplomatibus convenientia decerpere visum fuit, & in tabulas collecta ad libri hujus finem adponere, ut artis hujus tyro e parvis ideas ad majora animo concipere queat.

## XIII.

*De ordine & modo, quem Veteres in suis scripturis tenuerunt, ut pauca dicamus, imprimis antiquissimi codices neuti-*

E s . . . quam

quam fuerunt *opistographi*, seu ex utraque parte scripti, cuius rei caussam duplicem adsignare licet: primo quidem, quia exarati fuerunt ad formam *Rotulorum* ut vocant, sive in membrana vel papyro, qui postmodum convoluti fuerunt (unde *Volumina* dicuntur) ita ut pars adversa literis vacua veluti pro involucro & theca serviret. Dein quia in charta *Ægyptiaca* seu *Nilotica*, quam supra descripsi, quæque tunc temporis potissimum ad *scripturas* codicium adhibebatur, ob nimis tenerum ejus textum ex utraque parte scribi non poterat. Ubi vero seculo VI. & VII. robustior membrana tenuiori succedit, utraque voluminis facies literis frequentari cœpit. Non desunt, qui *opistographarum* hujusmodi *scripturarum* initium tribuunt Julio Cæsari, de quo Suetonius (q): *Epistolæ quoque ejus ad senatum existant, quas primum videatur ad paginas & formam memorialis libelli convertisse; cum antea Consules & Duces non nisi transversa charta mitterent.* Quidam fuerunt, qui alium scribendi ordinem sectati non recta linea integrum paginam percurrebant, sed *scripturam* in columnas divisere, ita ut modo duas, modo tres una pagina ostentaret, quemadmodum hodie adhuc fieri cernimus in impressis *Concordiarum S. Scripturæ* libris. Codicibus au-

autem quacunque demum ratione conscriptis veteres ad calcem adposuerunt consuetam formulam *Explicit liber*, vel *Explicit liber feliciter*, vel *Explicitum Opus*, ut innuerent, librum esse finitum, integrum, & completum. Ad etatem vero indicandam seculo VIII. & IX. non raro ad finem adjectum legebatur nomen vel ejus, cuius ævo, vel illius, cuius jussa scriptus fuit codex ille, v. g. *Regnante Domno Karolo, Hludouico &c. aut Wicmannus Archiepiscopus fieri jussit.* Hæc de ordine, nunc de modo scribendi: *Liquor*, qui præ cæteris communius in usu erat priscis ad exarandas scripturas, fuit atramentum, quod teste Plinio (q) ex tædarum fuligine, commixta cum resina & pice, ac flammis subacta, vel ut alii tradunt, e collecta furni atra materie, adiecta gummi & taurini glutinis liquati massa, composuerunt. Ad literas vero primarias, titulos, & novarum sectionum initia scribenda frequentissime adhibebant minium eodem Plinio attestante (r); quin etiam aliqui libri integri colore isto picti reperiuntur. Inde natæ sunt *Rubricæ*, quas postmodum e MSS. is ad impressos codices seculo XV. transtulerunt typographi: Encastum autem e muricis & conchilii cœuo-

(q) L. 35. c. 6. (r) L. 33. c. 7.


re compositum solis Imperatoribus ad publica scripta conficienda serviebat: quare Leo Imp. (s). *Sacra Rescripta alio colore quam purpurea inscriptione lustrari vexit.* Nobilius scripturæ genus erat, quod codices sat multi membranis purpureis, & literis auro argentoque splendentibus, ac variegatis coloribus distincti exhibent. Audiamus Hieronymum (t) dicentem: *Habent, qui volunt veteres libros vel in membranis purpureis auro argentoque descriptos &c.* item (u): *Inscriuntur membranæ colore purpureo, aurum liqueficit in literas.* Non solum autem in gratiam Principum & Illustrium Personarum libri integri hac ratione conscripti fuerunt, sed vel maxime Codices Sacri, veluti Psalteria & Evangelia, quales in Germania plures adhuc supersunt, & celeberrimus est Evangeliorum codex Sanct- Emmeramensis a Carolo Calvo huic Monasterio donatus. Mos hic exarandi libros sacros, pretio & arte mirandus, maxime viguit a temporibus Imperatorum Francorum per plura secula; quamvis fateri oporteat, esse longe antiquiorem. Nam de Eleazaro Principe sacerdotum apud Judæos testatur Josephus (x), quod

(s) L. 6. C. de diu. refer. (t) Pref. in Job.  
 (u) Epist. ad Eustoch. (x) L. 12. Antiq.  
 Judaic. c. 2.

quod per septuaginta Interpretes Sacros libros ad Ptolemæum Philadelphum in membranis tenuissimis exaratos, aureisque literis scriptos miserit. Præter hæc multiplex ornatus in veterum codicibus spectandum se præbet. Nunc integrum fere paginam purpureo colore illitam unica duntaxat litera variis parergorum mœandris circumducta occupat: nunc subtilliſſimæ auri lamellæ membranis superinductæ cernuntur, ita ut ab iis separari nequeant, quibus literæ grandiores, aut imagines punctis pictæ inscruntur, quæ ars interdeperditas modo numeratur: nunc in fundo cœruleo vel viridi animalia, flores, quin & sacræ historiæ monumenta atque emblemata penicillo illustrata comparent, simplici quidem ac rudi cultu, si proportionem ac symmetriam, sed si colorum vivacitatem spectes, miro artificio. Vidi ejusmodi splendidos in Basilica Cathedrali Senensi ad decantandas in choro, ut vocant, horas canonicas per integrum annum destinatos quadraginta, ni fallor, codices, ducentorum & quod plus est annorum impendio scriptos pictosque, in quibus omnis ornamentorum hactenus descriptorum supellex continetur, quam satis admirari non potui.

Appendicis loco dicendum aliquid superest de compacturis librorum. Antiquis temporibus ea volumina, quæ membranis constabant, filo aut etiam serico consuta fuerunt; illa vero, quæ papyro, conglutinabantur. Tum paginis glutine vel filo, ut dictum est, junctis hæc volumina bacillo ad formam cylindri, quem *umbilicum* dixerat, muniebantur, ut facile convolvi ac explicari possent. At in codicibus paginæ in terniones aut quaterniones distributæ & malleo planæ redditæ colligabantur, addita veste seu theca, quæ in antiquissimis libris plane simplex binis e ligno tabellis erat constructa. Seculo autem XII. & XIII. hæ tabulæ ligneæ cœperunt membranis obduci: in medio autem & angulis utriusque lateris bulla adnecti ex orichalco, ne compacturæ tam facile vitium paterentur. Tenuit hic libros compingendi mos usque ad seculum XIV. quo remotis etiam ligneis papyracceæ tabellæ crassiores corio suillo aut alio decenter vestitæ successerunt. Quum autem experientia docuit, multos vetustiores codices hinc inde e Bibliothecis furtive subductos fuisse, non raro vinciulis atque catenis alligabantur scriniis, quo securiores essent a rapacium manibus. At sacris codicibus longe major habitus est honor,

honor, qui foris vel holoserico rubro fuerunt involuti, vel eorum exterior theca imaginibus Sanctorum, aliisque symbolis pictis ornata, aut etiam argento, auro, gemmis & lapidibus pretiosis dives hodie adhuc spectatur.



### CAPUT III.

#### NOTÆ ANTIQUITATIS SCRIPTURARUM.

##### §. I.

*Scripturæ veteres secundum seriem  
seculorum.*

#### XIV.

Præmissa generatim notitia circa materiam, characterem, & formam veteris scripturæ, nunc per singula nobis sæcula eundum est, & ad instar armilustri curatius inspiciendæ rationes, quas in scribendo illa tenuerunt, ut rectum circa antiquitatem & ævum tum chartarum & codicium, tum diplomatum ferri judicium possit. Initium autem a Seculo V. merito ducendum esse videtur: nam ad illud usque

usque Romana, de qua dixi priore Capi-  
te (§. II. n. IX.) scribendi methodus ob-  
tinuit, quamvis aliquam quoque litera-  
rum paucarum variationem subierit. (Tab.  
I.) Igitur a seculo V. invaluerunt literæ  
Gothicæ, dictæ Toletanæ. Has invenit  
Ulphila Gothorum Episcopus Arianus  
qui circa annum Christi 375. temporibus  
Imperatorum Valentiniani & Valentis vi-  
xit, sacraque Biblia in Gothicam linguam  
transtulit, iisdem signata literis : Libros  
vero Regum historiam continentes studio-  
se fertur omisisse, ne Goths dum bella le-  
gerent in iis descripta, magis adhuc inci-  
tarentur ad arma, ad quæ jam satis suapte  
natura erant proclives. Verum nunc præ-  
ter Evangelia ex Ulphilano sacro Codice  
nihil superest. Atque hæ literæ in Hispa-  
nia primum usui esse cœperunt, post in  
alia etiam regna introductæ. Prima fron-  
te græcæ magis quam latinæ adparent : re-  
ipsa Gothicum Alphabetum e triplici lite-  
rarum classe constructum esse deprehendi-  
tur. Nam aliquæ a græcis mutuatæ sunt,  
ut B. T. K. λ. M. N. T. X. aliæ vero a  
latinis, ut G. h. I. S. Y. Z. reliquæ sunt  
peregrinæ. (Tab. II. 1. 2.) Hujus autem  
scripturaræ Gothicæ, uti & linguæ, usus  
viguit in Hispania usque ad seculum XII.  
ac frequentissimus erat etiam apud alias  
natio-

nationes in Codicibus, præsertim Evangeliorum & Actorum in Conciliis, ita ut ejusmodi scripti Codices ad mille annorum & ultra ætatem ascendant, in quibus Romanæ literæ succendentibus temporibus sic corruptæ fuerunt, ut nihil fere de pristino nitore retinuerint.

Post medium Seculi VI. invaluit scriptura Longobardica. (Tab. III. 3. 4.) Hæc charactere Romano & Gothicō minore gaudebat, Romanis tamen literis majoribus, licet & his corruptis, ad initia librorum adhibitis. Duplex autem erat Scriptura ista, Literaria & Diplomatica: Illam describit Gerson (y) inquiens: *Litera sit legibilis, sit punctuata, sit purgata, qualis est Longobardorum, non involvens se tractibus superfluis.* At hoc in Diplomatica observare non licet, quæ lectu admodum difficilis est. Cæterum in hac scriptura primum separari cœperunt voces, & puncta in fine sententiae fuerunt usitata. Erat tamen pro temporis diversitate diversa: antiquior paullum est corrupta, & crasso calamo conscripta, literis nondum sat ordinatis. Potiores harum cum nostris conveniunt, nisi quod **A. B. A. X. Y. S. T.** parum sint immu-

(y) *De Laud. Script. Confid. IX.*

immutatæ. Majores literæ initio posite a scribis varium ornatum accepere, avium etiam aliarumque animalium figuris intertextæ, qui mos obtinuit præsertim seculo VI. VII. & VIII. Antiquitatis notam potissimum præfert scriptura Longobardica in litera *J* oblonga (nobis s) qua & in fine & in medio nullo discrimine facto utebantur, idque usque ad seculum XII. quo primum s ad finem vocis adhiberi cœpit. Plerosque libros veteres tali charactere Longobardico videmus descriptos, qui quantum ad literas, usque ad seculum X. parum inter se discrepant, nisi quod seculo VI. sint magis crassæ ac pingues, & voces plusquam oportet connexxæ: (Tab. IV. 1. 2.) seculi autem VII. literæ ad Romanas majusculas proprius accedant.

Seculo maxime VII. (Tab. V. 2.) animadverte licet scripturarum compendia seu *abbreviations* vocum, de quibus alibi jam egimus, verecunde adhuc adhibitas, cuiusmodi sunt: *AN* *IH* *XPM*, *Dominum Jesum Christum. SCORUM*, *Sacrum*. *SCITAS*, *Sanctitas. INCIPIT*, *Incepit. SD AN*, *Sedit annis. I-CT*, *Idibus. MRTYS*, *Martyres. EPS*, *Episcopus. PFRCTORU*, *Presbyterorum. CAPIT*, *Capitulum. CARLO HYP*, *Carolo Imperante*.

te. P per. G. &. Q quod. urū,  
vestrum. Kyne, Charissime, & similia plura.  
Etiam quod mireris, occurunt literæ ma-  
jusculæ ita positæ, ut a fronte vel a tergo  
repeti debeant ad integrum vocem consti-  
tuendam. Sic teste Struvio (z) in Pan-  
dectis Florentinis reperire est Dactyliothe-  
ca M eam, pro *Dactyliothecam meam*:  
in MSto. Symachi Sa TEMporis, pro *sat*  
*te temporis*: apud Apuleium in LemurES  
reformant, pro *in lemures se reformant*.

Seculo VIII. & IX. manus adparet in  
scribendo nonnihil tremula; alias eadem  
fere ac seculi VI. literæ. Intervalla quoque  
& hiatus inter vocum integrarum literas  
notare licet, ita ut aliquæ earum ab una  
voce in aliam translatæ videantur, ac pri-  
mum ab ipso lectore velut separari debeant,  
& ad suum quæque vocabulum revocari.  
Sub medium tamen seculi IX. scriptura ad  
nostrarum literarum nitorem propius ali-  
quantum accedit, præsertim in majoribus  
literis Longobardicis. (Tab. VI. & VII. 1. 2.)

Seculo X. & XI. characteres paullo mi-  
nores & crassiores characteribus priorum  
seculorum inveniuntur. Breviatas voces  
non adeo multas est reperire seculo X.  
nisi quod m & n saepius cum lineola super-  
seri-

(z) L. 52. §. ult. de leg. 3.

scripta, & que per q;, 9 pro us, paucaque alia occurrant: at seculo XI. longe frequentiores. (Tab. VII. 3. & VIII. 1.)

Seculum XII. & XIII. literas ostendunt grandiores, magisque nitidas: aliquando s utuntur ad finem vocabuli loco *f* oblongi, quod ante seculum XI. nullibi factum reperitur. Accrebit his seculis *abbreviationum* frequentia, quarum notas varias lineolis, ductibus calami, aut literulis superscriptis adjecerunt vocabulis. Duplex quoque seculi XIII. scriptura est: sub initium minoribus characteribus & veluti crispatis; circa finem crassioribus & longioribus. Hujus seculi nota propria est litera *i*. accentu acuto ut plurimum superius notata. (Tab. VIII. 2. 3.)

Singularis est seculi XIV. scriptura, perquam obtusa, crassa, literis pressis, manu tremula, calamo rudi. (Tab. IX. 1.) Integra heic breviatarum vocum & notarum superinjectarum silva sepe pandit, quæ lectionem faciunt adeo difficilem, ut vix Oedipi cœnigmatibus his solvendis pares inveniantur. Difficultatem augere solent in codicibus papyraceis atramentum pallidum, & literarum inter se nexarum veluti catena. Cœpit eodem seculo litera *ū* notari circumflexo: ae &

ae & oe vel conjunctim æ. œ. vel cum virgula inferius aq. oç. collocata signari.

*Seculo XV.* circa illius medium sensim a barbarie vindicari cœperunt literæ ac orthographia. Tab. IX. 2. ) Literæ i. demptus accentus, & punctum j. substitutum: introductæ distinctiones sententiarum, & abbreviationibus literarum limes positus fuit. Sed hæc metamorphosis lento quasi passu processit. Hinc in plurimis adhuc codicibus hujus seculi *f* longum in fine, & i cum accentu comparet ob quorundam in antiquitate servanda tenacitatem. Ad umbiculum tamen illius certabant eruditi viri, ut pristinum splendorem restituerent, dum libros a se compositos elegantissimo charactere descriptos modo in membrana, modo in charta offerrent Regibus atque Principibus, qui literatos fovebant, & ornandis bibliothecis erant intenti. Literæ sunt acutæ, tenues, & ad amissim compostæ: lineæ intervallo æquali distantes: scriptura suis commatis, colis, & punctis distincta. Ornatus in literis principalibus maxime enituit, de quo capite priore disserui; hoc tamen discrimine, quod in codicibus antiquioribus aurum & colores fuerint magis vivi ac densi, ars modica: in recentioribus vero aurum magis

tenue, non minus ac colores, artificium tamen majus. Verum ubi typographia caput extulit, scribarum calami sensim labori huic valadixerunt, & succendentibus temporibus inculta scribendi ratio, quæ in prima typographiæ opera ex authographis fœc transfudit, plurimum emendata, & ad summum splendorem perfectionemque, quam nunç videmus, evecta fuit.

## §. II.

## Notæ Antiquitatis.

## XV.

Absoluto per secula itinere statuenda sunt quædam notæ, quæ scripturarum in priscis codicibus & MSS. is aliis occurrentium antiquitatem nobis pandant, quæ res hucusque scriptorum fere omnium ingenii crucem fixit. Certe negotium hoc ipsa chartarum, codicum, diplomatumque qua Ecclesiasticorum qua Forensium alio aliove charactere ac orthographia insignitorum copia intricatissimum, & labyrintho, cui filum Ariades deest, simile reddit, cujus rei rationem postmodum reddam. Interea seculi præsentis industria & sagacitas eo artis hujus studium perduxit, ut vanarum & inutilium conjecturarum fines supergressa

gressa non procul a vero abesse censeretur possit. Mihi duplex ad antiquitatem investigandam via ineunda esse videtur: una, quæ de illa universim cognoscenda, altera, quæ de ea singillatim & per seriem dignoscenda instituatur. oportebit tamen nonnulla e priore paragrapho repetere, ut lux clarior affulgeat, & suo quaque ordine procedant.

*Prima* igitur antiquitatis nota communis omnibus est *character scripturae*. Hic vel est Romanus, vel Gothicus, vel Longobardicus, vel Saxonius, Franco-Gallicus, vel Germanicus. Si Romanus, scriptura erit ad prima quinque secula vel ultra etiam referenda. Si Gothicus, continebit se intra seculum quintum, & duodecimum. Nam Theodoricus ostrogothorum dux cæso ex insidiis Odoacre regios honores & Italiam cum reliquis Occidentalis Imperii provinciis ab Anastasio Imp. impetravit an. 493. Si Longobardicus, incipiendum est circa medium seculi sexti usque ad duodecimum. Longobardi enim Alboino duce seu Rege pedem in Italia posuerunt an. 568. & liguriam, insubriam, totamque fere superiorem Italiam subegerunt. Si Anglo-Saxonius, inchoavit hic circa medium seculi quinti. Nam quum Bri-

tanni bello cum Pictis, Scotis, & Hibernis essent impliciti, opem Germanorum implorabant, qui in Britanniam transfretantes (videlicet Angli ex agro Schlesuicensi, & Saxones ex Hamburgensi ac reliquis ad Albim regionibus) hostes domuerunt, sed paullo post pulsis ipsis Britannis regno potiti sunt an. 455. Viguit hæc scriptura apud Anglo-Saxones usque ad Guilielmi Conquestoris principatum an. 1066. quo tempore factum est, ut modus scribendi Anglicus omitteretur, admittereturque Gallicus in chartis & libris omnibus. Porro in Germania vel translati eo per Monachos codicibus Anglo-Saxoniciis, vel ibidem per alios tunc commorantes exaratis sat longo tempore hæc scriptura sedem fixit usque ad seculum nonum aut decimum. Si Franco-Gallicus, nosse oportet, Francos in Galliam venisse an. 419. & 428. Sub prima Regum stirpe Merovingica, nempe sub Clodovæo, tertio a Merovæo Rege, Francica gens nomen & imperium per omnem Galliam extendit, ut multo copiosiores essent Franci, qui linguam & mores cum ipso jugo Gallis imposuere. Nihilominus usque ad seculi sexti finem, immo ad medium septimi apud Francos veteris scri-  
ptu-

pturæ Romanæ in libris usus perennavit. Tum quæ in diplomatis per id tempus obtinuerat Franco-Gallica, etiam in artem librariam transiit. Posthæc novus Romanæ scripturæ modus est invectus, tametsi usque ad Caroli Calvi principatum anno 875. Franco-Gallica a multis usu retenta fuerit, Longobardica a paucis. Itaque scriptura Franco-Gallica initium duxit sub Merovingica stirpe a seculo sexto, & perseveravit usque ad nonum: sub Carolingica a seculo nono usque ad undecimum: sub Capetingica a seculo undecimo usque ad decimum quintum, alio tamen semper, alioque vestita characteris habitu. Denique si Germanicus, a seculo quarto (nam antea peculiaris quidam fuit character) Græco non erat multum absimilis: a seculo quinto autem cum Gothicō permixtus: frequenter etiam a seculo sexto saxonius adparet. At a seculo nono Gallo-Francicam formam induit, & paullatim cum ea ad latinas literas rediit, usquedum circa medium seculi decimi sexti ad quandam scripturæ elegantiam pervenerit.

*Altera antiquitatis nota est distinguendi seu interpungendi ratio.* Hujus rei modum antiquissima tempora ignorabant. Hinc ubi Romana in scriptura nullæ nec

vocum, nec periodorum extant distinctiones, merito hujuscemodi chartæ inter omnium vetustissimas numerantur, quarum tamen vestigia modo vix ulla adparent in chartis & membranis. Postea vero, ut ex monumentis marmoreis, æneisque, ac eorum inscriptionibus patet, singulæ voces suis distingnatæ fuerunt punctis, de quibus Seneca loquitur (a): *Nos etiam, inquiens, interpungere confuevimus.* Atque hoc interpungendi genus Romanam primam aut secundariam indicat scripturam. Sucedentibus temporibus duntaxat sententiæ absolutæ punctis distingui solebant, omissis illis, quæ singulis vocibus adiectebantur: hocque in familiari & minuta scribendi ratione, præsertim Saxonica, usuveniebat. In majoribus enim Gothicis, Longobardicis & Franco-Gallicis usque ad seculum nonum fere nulla interpungendi cura reperitur, exceptis quibusdam codicibus sacris, quemadmodum jam seculo quinto D. Hieronymus novo scribendi genere uti (nempe per distinctiones) se profitetur his verbis (b): *Nemo quum Prophetas versibus viderit esse descriptos, metro eos existimet apud Hebreos*

(a) Epist. 40.

(b) Praef. in Transl. Esai.

*braos ligari, & aliquid simile habere de psalmis, & operibus Salomonis: sed quod in Demosthene & Tullio solet fieri, ut per cola scribantur & commata: nos quoque utilitati legentium providendo, interpretationem novam novo scribendi genere distinximus.* Quæ autem ratio Hieronymum ad ita distinguendum moverit, docet Cassiodorus (c): „ Memi-  
 „ nisse autem debemus, ait, memoria-  
 „ tum Hieronymum omnem translatio-  
 „ nem suam in auctoritate divina pro-  
 „ pter simplicitatem Fratrum colis &  
 „ commatibus ordinasse, ut qui distin-  
 „ ctiones sacerdotalium literarum compre-  
 „ hendere minime potuerunt, hoc re-  
 „ medio suffulti inculpabiliter pronun-  
 „ ciarent sacratissimas literas. „ Quales  
 autem hæ fuerint distinctiones Hierony-  
 mi, supra docui Cap. II. §. III. Cætera  
 unum interpunctum post absolutam sen-  
 tentiam in scripturis seculi decimi, un-  
 decimi, duodecimi, & decimi tertii: duo  
 puncta vero in illis, quæ sunt decimi quar-  
 ti & quinti, rursus reperiuntur, usque  
 dum sequentibus seculis ea interpungen-  
 di methodus, qua hodie utimur per com-  
 ma, colon & semicolon, punctum in fine  
 paullatim introducta fuit.

Terz

*Tertia antiquitatis nota consistit in Orthographia, quæ in vetustissimis codicibus plerumque talis est, ut diptongi æ & œ non coalitis in unam literis, sed separatis AE ae. OE oe. scribantur, quamvis & simplex Ē vel caudatum ſ sæpius positum occurrat.* Litera i. in antiquis monumentis nunquam cum virgula aut puncto præfixo comparet: γ vero frequenter cum puncto in medio ψ, immo aliquando cum singulis in utroque apice punctis γ scriptum deprehenditur. Porro literæ i. a fine seculi duodecimi accentus fuit superimpositus i. usque ad seculum decimum quintum, post cujus initium puncto insignitum j. denique conspicitur. Vetustatem quoque aliquam indicant immutationes literarum C. in G ... F in E ... D. in L ... I in E. aliæque similes.

Tribus hisce antiquitatis notis hucusque recensitis adjungi meretur *Quarta*, quæ a litera i. petitur. Quippe in scripturis ante Seculum XIII. exaratis vix ullum adparet vestigium hujus literæ i., supra quam punctum aliquod vel virgula reperiatur. At seculo XIV. solebat notari virgula longiore hoc modo: *inimitatus*: Seculi autem XV. initio contratiiores virgulæ fuerunt superpositæ: *inabilitis*, donec tandem circa medium ejus-

ejusdem seculi, atque annum 1460. me-  
ra puncta, ut hodie usuvenit, fieri con-  
sueverint. Quod tamen de Manuscriptis,  
iisque potioribus intelligendum est. Nam  
librariorum, quos Amanuenses dicunt,  
non idem fuit hoc in negotio consen-  
tiens mos: aliqui tardius, citius alii eum  
arripuerunt. In libris autem typo editis  
(quales penes me habeo Baptista Man-  
tuani Carmelitæ carmina an. 1500. Joa-  
nis Francisci Pici, Principis Mirandulani  
hymnos heroicæ an. 1507. Egesippi ex-  
cidium hierosolymitanum an. 1510. Pari-  
siis & Mediolani impressos) literam i sæ-  
pe punto, sæpius virgula breviore ad-  
huc notatam inveni, manifesto satis ar-  
gumento, non eodem statim tempore  
eundem morem puncta virgulis substi-  
tuendi apud omnes librarios invaluisse.

XVI.

Ex his jam quatuor notis, probe simul  
inspecto literarum & scripturarum illius ge-  
nicio, judicium ferre licebit de antiqui-  
tate codicum, aliorumque MSS.rum, sed  
generatim duntaxat. Juvat igitur adfer-  
re peculiares quoque notas aliquas singulis  
fere seculis proprias, e quibus veluti com-  
minus cognosci queat, quo quævis tempo-  
re scripta fuerint literaria hæc monumenta.

Se.

*Seculo V.* Romana scriptura, de qua antea sermo fuit, uncialis, semiuncialis, & minuta sensim characteribus vel male expressis, vel immixtis Gothicis, aliisque peregrinis corrumpi, ac prior venustas evanescere cœpit. Remansere tamen in hec quasi diluvio barbarum linguarum & scripturarum quædam reliquiæ. Nam literæ majusculæ Romanæ omnibus fere seculis in Titulis & initiis codicum vetustorum eluent.

*Seculo VI.* Scriptura literis Gothicis multum deformata est. Literæ pingues ac crassæ. *Interpunctio* & *abbreviatio* vix ulla: rarissime ad finem sententiæ. Litera i. sine accentu aut puncto. comparet etiam λ loco A. item ω loco M. m.

*Seculo VII.* Scriptura literis Longobardicis corrupta. In literis principalibus adparent aves aliaque animalia & parerga calami ductu formata. Hoc seculo cœperunt abbreviari voces, parce tamen ac modeste, uti ðm Deum, ðm Dominum &c. Litera i. Sine accentu vel puncto. Litera n pro u venum pro verum. Litera ω pro m. Diphongi æ. œ. separatæ a ē o ē.

*Seculo VIII.* Literæ principales ornatae variis figuris. *Interpuncta* rara, aliquando tamen tria :: aut duo : in fine

sine sententiæ. Litera i. sine accentu aut puncto. Litera ſ ad finem vocis loco s. Litera ē loco i. Diphongi æ, œ separatae. hiatus & intervalla inter voces, earumque literas. *abbreviations* rarae, quemadmodum priore seculo.

*Seculo IX.* Scriptura Franco - Gallica camparet, & manus in scribendo tremula. Majores literæ initio scripturæ posite cum minoribus intermixtae, ut INEP, T. *incipit.* Litera S. in majore, in minore vero scriptura ſ. etiam sub finem. Diphongus œ separatis literis, vel cum ſ caudato. Litera i. Sine accentu & puncto. Litera K. pro C. Kaſo *Carolus.* Interpuncta rara; *abbreviations* plures. Literæ in vocibus plus justo vicinæ ac implexæ.

*Seculo X.* Comparent e majoribus literis aliquæ Gothicæ & Gallicæ veteres. Scriptura crassior, voces hiantes, & literæ ab una in aliam translatæ. Litera i. nuda. Litera ſ. in fine vocis posita. Literæ m. n. per lineolam superiorem expressæ, uti eu, verā, legē. an. Litera q; loco que. Numerus 9. loco us, suscepimus. *Abbreviations* satis multæ † loco tibi, ȳ loco mibi, X loco vel &c. Unum punctum post finitam sententiam  
ere

crebrius invenitur. Singularis hujus seculi scriptura, præsertim in diplomatis bus (Tab. XI. 2.)

*Seculo XI.* Scriptura nonnihil pinguis & characteres veluti hamulis & ansulis instructi. Interpuncta multa, sed non ordinata. Aliquando etiam comma & semicolon adparet. Breviatæ voces quamplurimæ cum notis & ductibus de super:  $\text{P}^{\circ}$ . post  $\partial\tilde{r}$  dicitur.  $\text{S}\tilde{c}\tilde{o}$  secunda.  $\partial\tilde{m}s$ . dicimus.  $\text{X}$  Christum. Sigilat significat.  $\text{r}^{\circ}$  ratio.  $\text{J}^{\circ}$ . justus  $\text{t}^{\circ}$ . tres.  $\text{p}$  prius. Litera u loco o diabulus. Litera y. cum puncto. Literæ ii ut  $\text{g}\tilde{o}\text{yptii}$ .  $\text{A}\tilde{e}\text{gyptii}$ . u modo quadratum, modo v euipidatum.  $\tilde{u}$  pro um.

*Seculo XII.* Scriptura nonnihil tenuior & nitidior. Abbreviationes frequentes, etiam cum literis supra voces collocatis, ut  $\text{Tanq}^{\circ}\text{m}$ .  $\text{q}^{\circ}\text{n}$  quantum.  $\text{m}^{\circ}$  mibi. Loco & simplex e. vel caudatum. Litera i cum accentu acuto, sed rarissime adhuc. Litera s ad finem vocis adhiberi cœpta loco  $\text{f}^{\circ}$  oblongi.

*Seculo XIII.* Scriptura modo major, modo minor, quin minutissima. Literæ minores veluti crispatæ, valdeque inter se implicatae. Abbreviationes complures cum notis supra vocum verticem. Lite-

ra n loco u. item z loco &c. ut pro aut. p̄p̄p̄ loco pariter &c. Interpuncta satis multa, unico tamen fere puncto. Hujus seculi characteristicā est i. cum accentu acuto, quod antehac vix factum reperiatur. Singularis est hujus seculi scriptura Germanica. (Tab. XI.)

*Seculo XIV.* Scriptura rudis, pressa: Syllabæ vocum disiunctæ, ac ipsæ voices inter se comistæ. Innumeræ abbreviatiōnes & intricatæ, atramentum pallidum. Diphongi æ. ce. vel conjunctis literis vel cum ſ caudato. Interpuncta frequentia per unum aut duo puncta. Litera i. ut plurimum accentu acuto, seu virgula longiore vel breviore.

*Seculo XV.* Scriptura est aliquando valde minuta, vel obtusa, & ductibus implicata. Abbreviatiōnes adhuc multæ, præsertim in scriptura minore. Distinctio per unum vel duplex punctum; commata enim, semicola, punctum, & duo puncta, orthographice posita, sequentibus primum seculis comparuere. Propria huic seculo circa medium illius est litera i. cum puncto in vertice. Litera s. ad finem fere semper visitur, rejecto ſ oblongo.

*Seculo demum XVI.* Scriptura elegantiorem formam induit, ac emendatior  
BIBLIOTHECA DOMESTICA LIB. VII. G esse


esse cœpit, non tamen ubique & semper, nimirum pro scribarum genio & arte.

## XVII.

Nolim autem, ut quisquam existimet, hisce seculorum notis totum legendi, ac veterum chartarum & codicium atque diplomatum ætatis dignoscendæ negotium esse confectum. Non modicæ adhuc difficultates in hoc itinere instituto sunt superandæ. Harum occasio multiplex est. Primo quidem, non ubique nec eodem seculo eadem ratio scribendi literis Gothicis, Longobardicis, Francicis, Saxoniciis &c. fuit introducta: apud quosdam populos duravit longiore, apud alios breviori tempore. Dein sæpenumero characteres inter se permixti fuerunt, aliqui e Gothicis, aliqui e Francico, aliqui e Longobardico alphabete depromti: non raro peregrini irrepserunt. Porro scribarum vel imperitia, vel licentia atque lubidine contigit, ut literis unius etiam linguae varii ductus calami sursum deorsum, dextrorsum & sinistrorsum, variae que parerga fuerint adjecta, quæ illas foedarunt potius quam ornarunt; certe aliam a genuinis formam induxerunt, ut difficillimum sit, illas discernere. Præterea in quavis fere scriptura ejus-

ejusdem etiam seculi reperire licet diversissimas breviandarum vocum methodos, ubi semel mos iste compendia scripturæ sectantium placito inolevit. Ut nihil dicam de interpunctionum modica vel nulla cura, de intervallis & hiaticis medias inter voces relictis, de literis nunc minutis, nunc longis eodem in vocabulo adhibitis, deque coacervatis aut in longum diductis, vel tremula manu exaratis, absque ulla orthographiæ habita ratione. Demum alia fuit forensis scriptura in publicis ut vocant Instrumentis ac Diplomatibus, alia Literaria in chartis privatis ac Codicibus: prior enim eandem ut plurimum formam, Francogallicam potissimum, Carolingicam vel latinam medii ævi: posterior omnibus fere seculis aliam induit: singularem sibi vendicarunt codices sacri, præcipue Psalteria, (Tab. IV. 5.) Quapropter quasdam adhibere industrias oportet, quales sunt: probe inspicere scripturarum alphabeta & characteres: non ex una seculorum nota, sed ex pluribus simul judicare: ad vocales & diphongos diligenter attendere: abbreviandi ac interpungendi rationem observare: separare voces unam ab altera, si vel nimis sint conjunctæ, vel colligentur,

si fuerint dissimilatae: superfluos ductus & parerga a literis & vocabulis velut abscondere: quae obscura videntur, ac legi vix possunt, ex contextu estimare: ex uno alterove codice, cui annorum, quibus scripti sunt, numerus est adjectus, aliorum simili calamo exaratorum etatem indagare &c. Verbo: vix hac in re absque exercitatione, id est, diligentis inspectione lectioneque chartarum & codicium ipsorum, vel his deficientibus librorum, in quibus ejusmodi supellex antiqua imitatione expressa continetur, vix inquam hac in re quidquam proficitur.



## CAPUT IV. NATURA ET INDOLES DIPLOMATUM.

### §. I.

*Varia illorum conditio.*

### XVIII.

**P**ost excussas veteres scripturas, e quibus de antiquitate ac sinceritate MSS.orum judicium ferre oportet qui labor quam utilis, tam necessarius est

est ad ea, quæ sequuntur, rite intelligenda) tandem ad ipsum artis diplomaticæ studium, quod rei quam tractandam suscepi, cardo & caput est, proximus accedere licet. Omnium primo heic loci examinanda venit natura & indoles diplomatum universæ spectata. Sunt autem diplomata non aliud, quam literæ patentes solemnī ritu datæ a Pontifice, ab Imperatore, a Rege, Principe aut Viris Inlustribus, seu Ordinis Ecclesiastici sint, seu profani, quibus plena fides adhiberi debet de illis, quæ inibi contenta sunt. Harum patentium literarum varia ab Auctōribus genera recensentur, & in tres potissimum classes distribui solent: Vel enim sunt *Regales*, quæ a supremis Principibus proficiuntur: vel *Pagenses*, quæ a privatis hominibus Nobilitate Auctoritateque conspicuis conferuntur, quarum utrarumque diversas formulas libris duobus complexus est *Marculfus Monachus*: vel sunt *Ecclesiasticæ*, quarum notitiam præbet Vir in paucis eruditus Joan. Garnerius S. J. (d) Prima igitur classis est Ecclesiasticarum chartarum seu literarum, quarum aliæ rursus sunt *Pontificiæ*, quæ a bullis adpensis nomen suum.

(d) *In Diurno Romano.*

suum obtinueront; *Episcopales* aliæ, quas  
 Episcopi variis Ecclesiis ac Cœnobiis be-  
 nevole sunt impertiti; aliæ privatarum  
 Ecclesiarum aut monasteriorum, quæ ad-  
 appellantur *Precariæ* & *Præstariæ*. Has  
 ultimas ita describit eruditissimus Jacobus  
 Sirmundus S. J. (e) „Qui rem Ecclesiæ  
 „ad usum fructum sub annuo censu im-  
 „petabant, iis per *precariam* & *præ-*  
 „*stariam* dari solebat. *Præstariam* da-  
 „bat Ecclesiæ Rector, qui rem præsti-  
 „tam concedebat, & quibus legibus  
 „eam concederet, exponebat: *Precar-*  
 „*riam* petitor, qui rem precario (id est  
 „in beneficium) accipiebat, qua cen-  
 „sum & alias conditiones impositas ex-  
 „pleturum se profitebatur. „ In altera  
 classe chartas Regales seu Diplomata re-  
 rum periti dividunt in *Præcepta*, *Indi-  
 cios*, *Placita*, *Tractorias*, *Descriptiones*,  
 & *Pancharatas*. *Præcepta* dictæ sunt ex  
 patentes literæ, quibus pro fururo tem-  
 pore aliquid observandum, dandum,  
 possidendum &c. constituebatur: *Indi-  
 culi*, quæ pro tempore præsenti aliquid  
 concessum, donatum, largitum &c. in-  
 dicabant. *Placita* regiæ fuerunt literæ,  
 quibus rei controversæ judicium in fre-  
 quenti Procerum conventu latum ac de-  
     fini-

(e) In *Capitul.* 7. *Caroli Calvi*.

finitum continebatur. Tractoriæ vocabantur ea Diplomata, quæ illis concedebantur, qui negotiorum caussa a Principe vel missi alio, vel in Aulam evocati fuerunt, quibusque charta seu dipломate ejusmodi exhibito equi, rhedæ, hospitii jura, itineris sumtus quamprimum subministrari debebant: de his plura dixi C. i. §. i. n. i. hujus libri. Descriptiones fuere, in quibus prædia, ædes, libri, aliaque omnis supellex ad Ecclesiam pertinens regio nomine recensebatur. Panchartæ seu Pantochartæ nuncupabantur, quibus Reges & Principes Ecclesiæ vel Cœnobii jura & bona omnia & singula, horumque possessionem confirmabant, maxime tum, quando authographa instrumenta fuerunt amissa, vel ætatis vitio depravata. Demum tertia classis est chartarum Pagensium, seu privatorum negotia concernentium, quæ rursus variæ sunt, ut emptionis, venditionis, donationis, commutationis, manumissionis, chirographa, syngrapha, testamenta, codicilli, & his similia, quæ cuivis obvia sunt.

## XIX.

Ut autem hæ chartæ atque diplomata  
hæc, utpote in quibus jus omne bona vel  
res quasque possidendi, retinendi, ipsaque  
vis probandi & vindicandi residebat, per-  
petua forent, pro adservandis conservan-  
disque publicis hujusmodi instrumentis ta-  
bularia & scrinia, quæ Græci Archiva vo-  
cant, studiosissime condita fuerunt. Ho-  
rum vetustissima memoria est; & aliquod  
vestigium jam in ipsis SS. Literis reperitur.  
Nam in libro primo Esdræ (f) Beselam,  
Mithridates, & Thabeel hostes Israelis  
miserunt epistolam ad Artaxerxem Regem,  
in qua exhortantur illum, ut inquirat in  
tabulario suo de actis Judæorum: *Idecirco  
mittimus & nunciavimus Regi, ut recen-  
seas in libris historiarum, patrum tuorum,  
& invenies scriptum in commentariis, &  
scies, quoniam urbs illa (scilicet Hiero-  
polyma) urbs rebellis est.* Item libro pri-  
mo Machabæorum (g) recensetur episto-  
la Regis Spartiatarum ad Oniam Sa-  
cerdotem Magnum in hæc verba: *Arius  
Rex Spartiatarum Oniæ Sacerdoti Ma-  
gno salutem: Inventum est in scriptura  
de Spartiatis & Judæis, quoniam sunt  
fratres, & quod sunt de genere Abra-  
ham.*

(f) Cap. 4. v. 15. (g) Cap. 12. v. 20.

bam. Quæ posteriora & priora verba satis indicant, Commentaria & Scripturas illas tanquam instrumenta publica in loco ad id designato probe custoditas fuisse. Apertius Cicero loquitur de Archivo Heracleensium (h): *Hic tu, inquit, tabulas Heraclensis desideras, quas Italico bello, incenso tabulario, perire scimus omnes.* Quin etiam in Codice (i) conceptis verbis statuitur: *Item & charta, quæ profertur in Archivo publico, testimonium publicum habet.* Propterea jam apud veteres Romanos certæ constituebantur personæ, quibus archivorum cura, inspectio & administratio committebatur, uti refert Pomponius (k): *Itemque ait, ut essent, qui ædibus præfessent, in quibus omnia scita sua plebs deferebat, duos ex plebe constituerunt, qui etiam Ædiles appellati sunt.* Hi ipli quoque (l) Archeotæ vocati fuerunt. Neque minor hujus rei cura fuit apud Ecclesiasticos. Certe jam nascente Ecclesia Pontifices Summi Acta Martyrum, & Synodorum decreta, fas-

(h) *Orat. pro Archia Poeta.* (i) *De fid. instrumentor.* (k) *In Lib. 2. §. 21. ff. de Origin. Jur.* (l) *In Lib. 18. §. 10. ff. de munoribus & honoribus.*

ctasque a se Episcoporum aliorumque Ecclesiæ Ministrorum *ordinationes*, alia-que ad Ecclesiæ regimen pertinentia di- ligentissime in occultis tabulariis recon- dita servabant, ne in tyrannorum & fidei hostium manus inciderent; unde postmodum cum maximo Ecclesiasticæ historiæ emolumento eruta, & in lucem data fuerunt: Jam olim D. Hierony- mus in epistola ad Pammachium (m) mentionem fecit Archivi Romani illu- stris, splendidi, & ampli, in quo Con- ciliariorum & Patrum documenta fuere re- posita, & S. Augustinus ad Glorium ita scribit: *Non chartis veteribus, non ar- chivis publicis, non gestis forensibus, aut Ecclesiasticis agamus* (n). Papa vero Deusdedit super quæstione quadam con- sultus a Gordiano Episcopo Hispalensi, ad archivum sedis Apostolicæ provoca- vit (o): *Invenimus autem in archibvis sedis hujus Apostolicæ, jam talia conti- gisse in Ecclesiis Isauriæ, Ephesiorum, simulque Hierosolymæ, aliarumque civi- tatum.* Clarissimis hoc ipsum verbis conformat Justinianus Imp. (p) dum ait: „*Cum autem factæ fuerint Tuto- rum*

(m) Epist. 52. (n) Epist. 43. (o) Cap. I. quæst. 1. causa 30. (p) In Lib. 30. c. de Epi- scopal. Audientia.

„rum aut curatorum creationes, præsen-  
„te etiam religioso Civitatis Episcopo,  
„in ipsis Sanctissimæ Ecclesiæ Archivis  
„deponi gesta sancimus, ut sit perpetua  
„rei memoria, & non intercidat casibus  
„fortuitis, curationis exinde quæsita  
cautela.” Quantumvis autem magna &  
maxima fuerit priscorum hominum in  
struendis atque tutandis Ecclesiarum ac  
Monasteriorum tabulariis & archivis soler-  
tia, prohibere tamen non potuerunt,  
quin bellorum turbine distracta, vel a  
vulcano absumpta fuerint magno nume-  
ro, majorique clade, vel ipsa diplomata  
in iis adservata ob supinam custodum  
negligentiam tineis & battis in prædam  
cesserint. Unde mirum haud est, quod  
tam rara extant authographa diplomata,  
aliave primaria instrumenta Seculo VIII.  
superiora, ut Mabillonius observat.

§. II.

*Facies exterior & interior Diplo-  
matum.*

XX.

Sed nunc ipsam diplomatum indolem  
propius inspiciamus, exteriorem in-  
teriorumque illorum faciem contemplan-  
do.

do. Exterior consistit in characterum habitu quodam cultuque, quem a calami ductibus accipit, diversisque parergis, quæ a scribarum ideis saepe admodum distortis pendent. Hæc tamen omnia diplomatum ævi, & antiquitatis notas, e quibus æstimari debent, consti-  
tuunt, & veluti certa ætatis impressa sigilla sunt. Nam chartis ac diplomatis Regiis & Imperialibus quoddam scripturæ genus tum commune omnibus, tum cuivis proprium esse deprehendet, qui curiosius ea vel in ipsis membranis vel in libris, in quos fideliter translata sunt, contemplatus fuerit. In omnibus, si pauca vetustissima excipias, reperire licet primas lineas longis & quasi uncialibus literis exaratas; tum characteres minores, plus vel minus inflexos implicatosque. Præterea literas bene multas instar perticarum prominentes: Ad finem demum nomina Regum Imperatorumque &c. oblongis rursus characteribus expressa, additis quibusdam pro arbitrio calami ductibus. (Tab. XIII. XV. XVI.) In singulis vero literæ vel crassiores, vel graciliores, vel voces magis magisque distantès aut conjunctæ & implexæ adparent: in his nulla vel fere nulla, in illis nonnihil major interpungendi cura:

in aliquibus *abbreviationes* rarae, in aliis frequentissimae. Plerumque tamen *Diplomat* scriptura, in plurimis recedit ab ea, quæ *Codicum* est. Antiquiora Francica, quæ sub prima Regum stirpe Merovingica fuere condita, syllabarum ac literarum perpetuis nexibus, lacunis & orthographiæ sphalmatis plena nil nisi rude quid ac barbarum monstrant, quemadmodum ex ectypis constat, quæ Mabillonius libro V. exhibet. Meliorem aliquantum faciem induerunt Caroli M. tempore: abstensa ævi barbari fuligo, excisa ductuum inconditorum & crispatorum characterum sylva, molioresque literæ, ac magis ordinata scripturæ forma substituta, id quod in Carolina posteritate continuatum ad Germanos quoque transit, quorum Imperialia diplomata Conradina, Ottoniana, Henriciana, Lotharica, Fridericiana, qualia complura *Chronicon Gotovicense* complectitur, characteribus lectu facilioribus sunt exarata, relictis tamen nonnullis barbaricæ scripturæ vestigiis, præsertim longioribus quarundam literarum s. f. l. b. d. h. &c. ductibus sursum ac deorsum factis, vel ad latera inclinatis, subinde additis etiam solitis parergis serpentinis. (Tab. XV. & XVI.) Hæc omnia docet diligens

gens uti codicum, ita & diplomatum inspectio, eaque inter se conferendi studium. Nihilominus sicut alibi jam monui, grande discriumen est inter codicum & diplomatum scripturam. In illis majores literæ ad formam Romanarum, quæ aurea latinitatis ætate in usu erant, effictæ sunt, admixtis tamen crebro Gothicis & Longobardicis: contra vero diplomatum characteres, qui eorum initia componunt, vix non semper subtilibus, acutis, pressæ coacervatis, & in sublime ductis apicibus sunt conspicui. Hi ut commodius legantur, oportet eos ab invicem velut separare, observareque literas Romanas minutissimas seu potius literulas, quæ vel ad lineæ oblongæ pedem, vel in vertice, aliquando etiam in medio conspiendias se præbent, ut videre est Tab. XII. XV. & XVI. in a. b. d. e. r. k. s. g. Qui vero characteres per reliquum corpus diplomatum occurront, breviores sunt, & Romanis minutis non absimiles, quamvis ductibus suis & cristiis ita deformati, ut e Franco-gallicis & Romanis conflata videatur scriptura.

XXI.

Modo ab exteriore ad interiorem diplomatum faciem promovendus est gradus. Per hanc tum orthographiam tum stylum intelligo. De orthographia universa fas est dicere, certam fuisse cuivis ævo scribendi rationem, non minus ac in re numaria & lapidaria observare licet. Nam sicut in his eundo per secula, a prima scriptionis integritate simplicitateque non modica declinatio conspicitur, ita & in diplomatibus; in quibus frequenter est legere: *Baselica, habiret, homenis, ficit, mano, successor, bone fideus pro bona fidei, ab aliquis pro ab aliquibus, in villabus pro in villis, ab ædem, pro ab æde, fuerimus pro fuissemus &c.* Non tamen est, cur Grammatico cuidam ævi nostri tantopere stomachum moveant menda ista orthographica, utpote quorum exempla reperier quoque apud Terentium & Plautum, uti *Publicus pro publicus, sibi pro sibi, jousit pro jussit, souom mareitom suum maritum, Molta pro multa, Postidea pro postea, Indoponito pro imponito:* quin etiam circa ipsa ætatis aurex secula apud Quintilianum (q) legimus hinc

*Hec.*

*Hecuba, notrix, Menerva, & Leber,*  
*Magester illinc Alesanter, Cassantra &c.*  
 „Quare minus mirum, verba sunt Fabii,  
 „si in vetustis operibus urbis nostræ &  
 „celebribus templis legantur Alesanter  
 „& Cassantra. Quid o atque u permu-  
 „tatæ invicem: ut Hecuba, & notrix,  
 „culchides & pulyxena scriberent: ac ne  
 „in græcis id tantum notetur, dederunt,  
 „ac probaverunt.,, Quid? quod & Ca-  
 to ille Censorius *dicem* & *faciem* loco  
 diam & faciam: *sibe* & *quase* pro *sibi*  
 & *quasi* scripsit eodem teste Quintilia-  
 no, dum rursus ait: „Quid non? Cato  
 „censorius dicam & faciam: *dicem* & *fa-*  
 „*ciem* scripsit, eundemque in cæteris,  
 „quæ similiter cadunt, modum tenuit:  
 „quod ex veteribus ejus libris manife-  
 „stum est. Et a Messala in libro de  
 „S. litera positum *sibe* & *quase* scriptum  
 „in multorum libris est. Sed an hoc  
 „voluerint Auctores, nescio. T. Livium  
 „his usum ex Pædiano comperi, qui &  
 „ipse cum sequebatur.,, Nimirum ejus-  
 modi literarum metamorphoses vetustissi-  
 mis jam temporibus usuvenerunt, scrip-  
 tura hominum ingenio & moribus sese  
 accommodante: neque a solis Notariis,  
 sed etiam a Librariis illorum temporum  
 hunc scribendi morem passim usurpatum  
 fuisse

fuisse prisci codices abunde probant.  
Hæc de orthographia:

Quid de stilo Diplomatum dicam? Negari haud potest, Grammaticæ rempublicam in iis multum periclitari, adeo ut vir eruditus Hieronymus Bignonius, qui Marculi supra laudati formulas primus in lucem protraxit, affirmare non dubitarit: *Mores illorum temporum etiam sermonis inculta rusticitas penitus ostendit.* Pauca e plurimis barbaræ ætatis ac linguæ monumenta e vetustis chartis studiole collecta producere mihi liceat. Sunt autem: *Inluster Vir Comes Palacii nostri testimoniavit. . . . Dum nobis di- vina pietas ad legitema ætate fecit per- venire . . . stante ista omnia, quod su- perius communi conuenientia ficiuntur . . . ut bæc autoritas firmiorem obveniatur vigorem . . . quantumcunque ipsa vel jogalis suis: id est maritus . . . a lemenibus sanctorum Ecclesiarum excommunicatus appareat, pro, a liminibus Sanctorum Ecclesiarum excommunicatus appareat . . . præsentaliter revertatur . . . damus integrum cortilo (id est locum & spa- tium) hereditatis nostræ . . . præcipui (præcepi) ut nulla monacha in eodem monasterium quippiam peculiare præsumat . . . quod si pars contra supra scri-*

pta definitione ambulare conaverit . . .  
quomodo Domino sinceriter deservire de-  
beant . . . cum hoc adimplere spondedis-  
set. . . . vel in ac causa introivisset, pro-  
in hanc causam introivisset. . . . nec qui-  
libet de parte fisce nostri requerire, nec  
executare penitus non præsumatis, &c.  
Hæc & similia latinitatis corruptæ cime-  
lia in omnibus fere priscorum tempo-  
rum diplomatibus est invenire, nunc  
frequentiora, nunc pauciora. Merovin-  
gicum ævum nil nisi solœcismos & bar-  
barismos parturiit, commixtis in unam  
scripturam variis linguis & vocibus. Ca-  
rolingicis temporibus abstensa nonnihil  
barbaries fuit, & pristinus nitor revoca-  
tus; sed non paucæ barbarici sermonis  
reliquiae illis adhæserunt. Postmodum  
sub Caroli successoribus major in expur-  
ganda latinitate exhibita est cultura,  
quam etiam Germania a regno Francico  
avulsa suscepit: nihilominus dum Nota-  
rii ac scribæ latinas voces ad vernacu-  
lam linguam applicarent, factum est, ut  
multa vocabula vel a latio aliena, vel  
patria in latinam terminationem contor-  
ta irrepserint cum aliis linguae Theoti-  
scæ nominibus, quæ nunc penitus exo-  
leverunt. Hujus autem mali triplex ori-  
go fuit, prima erat ruditas seculi. Nam  
quum

quum Romani Galliam, Hispaniam, aliasque nationes subjugassent, eisdem etiam Romanæ linguae usum imposuere, quæ tamen brevi variis earundem gentium idiotismis potissimum partem corrupta fuit Altera, communis usus, qui tunc temporis etiam apud literatos viguit, qui non elaborato, sed *usuali* ut vocat Sidonius, sermone, id est semi-latino & loquebantur & scribebant. Tertia, formularum ratio, quas Notarii vel imperiti vel incurii composuere in diplomatis observandas, ut ab omnibus etiam rudibus intelligi possent, a quibus recedere posteri nimium religiosi nefas sibi esse duxerunt. Nam ut experientia docet, ejusmodi formulæ semel male conceptæ postea in stilem Curiæ ut vocant, abiit solent, unde publicam quoque auctoritatem accipiunt.

§. III.

*Regulæ pro recto circa diplomata iudicio ferendo.*

XXII.

*Quæ numismatum veterum, ea etiam diplomatum fors est, nimirum ut non pauca, si a rerum probe gnaris ri-*  
H 2 gido

gido examini subjiciantur, falsa esse atque conficta deprehendantur. Nec defuerunt occasiones malis hisce artibus. Quidam enim, quum in probe custodiendis suis chartis, quibus tamen tota fere eorum fortuna nitebatur, negligenter fuissent, videntes laceras eas esse, aut scripturam senio vel aeris injuria vitiatam, ut legi amplius nequiret, simplicitate quadam vel audacia transversum acti alias ad priorum imitationem consecere, aut confici curarunt: Alii ut damna diplomatum resarcirent, quæ hostium ac barbarorum urbes & Nobilium castra expilantium furor, vel incendiis exortis flamma, vel alia manus rapax abstulit, novis proprio marte condendis operam dederunt: Aliqui demum sive ut ea, quæ injuste possederunt, retinere possent, seque a molestis interpellatoribus in judicio liberarent, sive ut avaritia stimulante aliena bona sibi vendicarent, diplomata configere ausi sunt, obtenturi auctoritate chartarum, quod ja-  
re legum non poterant. Grande profe-  
cto, ac bono publico perniciotissimum malum! cui tamen homines prudentiores, ac magis religiosi, rectique amantes longe aliis securioribusque remediis occurserunt. Nimirum lacera detritaque ejus-

ejusmodi instrumenta ab iis, qui publica auctoritate ad id munera constituti erant, renovari curarunt, & vetera novis secundisque literis inseri, quas propterea *Vidimus* appellabant. Solebant enim Principes vel Magistratus in illis testari, quod ipsi antiquas tabulas viderint, iisque rite inspectis novas condit jussent, qua de re alibi egimus (r). Si vero diplomata omnino perperdita fuerint, ad Principis vel Episcopi beneficium confugerunt, & ab iis privilegium, in quo Ecclesia vel Monasterii bona & possessiones generatim confirmabentur, aut novum diploma seu Parchartam cum accurata jurium ac possessionum enumeratione obtinuerunt. At falsariis, qui diplomata adulterare ausi sunt, malitia hæc nequaquam impune abiit. Nam vel proscriptione bonorum, vel pollicis aut manus diminutione, vel omnino mortis supplicio punici fuerunt, innovato more, qui jam apud Romanos viguit, uti constat ex Suetonio, qui refert (s), Claudium Imp. proclamante quodam, *præcidendas falsario manus carnificem statim acciri cum machæra mensaque Ianonia flagitasse;* & ex le-

ge

(r) *Libri huius c. 1. n. 4.*

(s) *In Claudio.*

ge Cornelia a Sulla Dictatore lata, quæ sancitum est, ut qui nomine Prætoris literas falsas reddidisset, editumque falsum proposuisset, de ejus capite quereretur. Nominatim autem in Declarationibus super regulam S. Benedicti editis anno 1603. statuitur: *ut si quis suadente diabolo ea (scilicet sigilla congregationis vel monasterii) falsificare præsumserit, stet degradatus per menses duos post omnes Professos, jejunetque semel in hebdomada in pane & aqua in refectorio durante ipsa degradatione.*

## XXIII.

Si quis vero nosse desiderat, quænam instrumenta & diplomata falsa esse censenda sint, tres illorum species Auctores produnt, nimirum alia dicuntur *Refecta*, quæ amissorum authenticorum loco supposita sunt absque legitima auctoritate eorum, ad quos negotium hoc pertinet. Alia *Adulterata*, quibus scilicet ab impostore aliquid insertum vel additum est, quod a mente concedentis alienum; vel etiam aliquid omissum, quod juri alterius obest. Alia proprio nomine *Falsa*, quæ nullo veri authentici fundamento nisi e claris signis ac notis deprehenduntur. Discriumen autem hoc in loco præte-

tereundum non est, quod sane magnum inter falsa & interpolata diplomata intercedit. Quippe quæ falsa sunt, valorem omnem, & in omni tribunali perdunt, nec excusationi locum præbent. At interpolata veniam mereri possunt. Contingit hoc triplici modo: primus est, si aliquid adjiciatur supra id, quod in authographis positum reperitur. Ita qui chartas authenticas Ecclesiæ vel Monasterii in unum veluti corpus, quod *Chartrarium* vocarunt, redigebant, non raro annis Pontificum, Imperatorum aut Regum duntaxat expressis arbitrio suo addidere annos *Incarnationis* vel *Indictionis*, vel utrosque, ut accurratius ævum distinguerent, commissis tamen saepius per insectiam in horum calculo non levibus in leges chronologicas peccatis. Alter est, si quid in scriptura permutetur, uni vocabulo aliud substituendo. Sic antiquo verbo *feuum*, quod nobis *Feudum* audit, succenturiabant aliqui *feudum*, quod tempore concessi diplomatis necrum erat usitatum. Tertius denique, si per errorem a describentibus in diffili eorum lectione non bene versatis unum alterumve vocabulum transiliatur, aut ponatur alia ab iis, quæ in Instrumento continentur, vocabula. Ista sphal-

mata suspectum quidem reddere possunt diploma, non tamen falsum vel adulteratum esse probant, si nullus alias error ad substantiam pertinens deprehendatur. Neque stili barbaries, & incondita tum lingua tum scriptura auctoritati diplomatum quidquam officit, quum ut dixi, consuetudo vulgaris sermonis, & scribendi ratio, quæ tunc viguit, ea ab omni fraude facile absolvat, ita quidem, ut si hanc linguæ, dicere fas est, rusticitatem non præferant, potius vitii aliquis suspicionem ingerent,

## XXIV.

Ut autem falsa & spuria a veris & genuinis instrumentis ac diplomatibus eo facilius discriminari queant, regulas quasdam e peritissimo artis hujus Mabillonio potissimum de promtas hoc in loco adducere visum est.

*Regula I.* Magna prudentia & moderatione opus est ad censuram ferendam viris etiam doctis, qui vetera instrumenta ad legum apices examinare velint, nec cuivis in re Antiquaria utut eruditio id temere tentandum.

*Regula II.* Semper cum favore judicandum, ubi res longa possessione firmata

mata est, uti leges civiles & canonicae  
præcipiunt.

*Regula III.* Non ex sola scriptura, neque ex uno solo characterismo, sed sed ex omnibus simul de vetustis chartis pronunciandum.

*Regula IV.* Unus alterve error aut mendum, modo substantiam diplomatici non adficiat, legitimis exteroquin authographis obesse non debet.

*Regula V.* Vitia ad substantiam pertinientia censentur: si nomina personarum, quæ post datum diploma vixerunt, in eo expressa, aut in subscriptionibus prima manu exarata reperiantur, aut exrum mentio fiat, quæ longe ante illud tempus vita functæ sunt: si contextus omnino sit vitiosus, nec sibi cohærens: si monogrammata inepta, & ab usu temporum illorum abhorrentia conspicienda se præbeant: si sigilla adulterata deprehendantur.

*Regula VI.* Historicorum aut inscriptionum antiquarum testimonia legitimis chartis præjudicium facere non debent, ita ut illorum præferatur auctoritas, nisi ex illis manifestus error personarum, rei gestæ, aut temporis demonstrari queat.

*Regula VII.* Additamenta *Incarnationis, Indictionis, Glossematum*, aliorumque

similium, maxime in exemplis seu apographis, non officiunt Instrumentorum veritati.

*Regula VIII.* Dicerimen faciendum est inter verba *Aetum* & *Datum*, quæ in formulis Diplomatibus sæpe comparent. Primum enim notat tempus, quo a Principe concessum beneficium, privilegium &c. ejusque voluntas fuit significata: alterum vero tempus, quo scriptura conceptis verbis in Curia aliove loco fuit confecta. Fieri enim potest, ut alio tempore, aliove loco Princeps mentem suam declareret, & favorem impertiatur: alio autem tempore locove ipsius literæ vel diplomata circa negotium illud scribantur & conferantur. Quare neutiquam falsæ vel adulteratæ scripturæ signum est, si tempus & locus *Aeti* & *Dati* inter se non concordent. Sæpius quippe contigit, ut res *Aeta* fuerit in Germania, ubi tunc Imperator præsens erat, *Data* vero primum eodem in Italia commorante.

His tamen regulis addendum esse censeo, quod suis Mabillonius supra laudatus præmittit his verbis: *Si quas hic trado regulas, persuasum esse debet, pro communioribus esse babendas, non interpretan-*

tandas severo ac summo jure, quod etiam  
opto & efflagito.

XXV.

Operæ pretium videtur, pro Capitis  
hujus coronide in medium proferre sat  
longum, sed elegans *Capitulum e Decre-*  
*talium libro secundo* (t), e quo patebit,  
qua diligentia severitateque jam olim in  
diplomatum fidem sit inquisitum: simul  
etiam quam multiplices hac in re sive  
errores sive fraudes committi possint,  
ac fuerint commissi. *Rubrica* sic habet:  
*Instrumentum publica manu non confe-*  
*ctum, babens sigillum, cuius literæ non*  
*sunt legibiles, vel scripturæ deletæ, vel*  
*enormem patitur fracturam, non probat.*  
Lis autem erat Anno MCCVIII. inter  
Abbatem S. Donati de Scozula, & Pro-  
curatorem nomine Ecclesiæ Mediolanen-  
sis missum. Abbas petebat restitui suo  
monasterio portum Scozulæ, aliaque bo-  
na & jura, productis tum privilegiis  
Comitis Luitardi, quondam Episcopi Lu-  
cani, qui fundaverat monasterium, &  
prædicta ei donaverat; & Imperatorum  
Romanorum, præsertim Henrici, qui  
præfatam donationem confirmavit: tum  
in-

(t) C. inter dictos dilectos 6. de Fide In-  
strument.


Instrumentis sententiæ, ab Aspero olim  
Mediolanensi Archiepiscopo in favorem  
monasterii latæ nomine Ludovici Imper-  
atoris; ac locationum, quas Abbates  
memorati Monasterii diversis personis fe-  
cerant, &c. Lite diu ventilata Innocen-  
tius III. Pontifex Mediolanensi Episco-  
po in hunc modum rescriptit: „ Sed  
„ contra privilegium a Procuratore tuo  
„ multa fueront objecta. Primo, quia  
„ ibi maxime apparebat consumptum  
„ (*videlicet in annotatione Indictionis*)  
„ ubi potuisset falsitas facilius deprehen-  
„ di. Secundo, quia quum charta ve-  
„ tastissima videretur, recentior appare-  
„ bat scriptura, tanquam non illo tem-  
„ pore facta fuisset. Tertio denique,  
„ quia falsum sigillum virtiose videbatur  
„ appositum, eo quod e media parte si-  
„ gilli apparebat quædam imago, non  
„ cum mitra in capite, sed cum pilo:  
„ nec induita Pontificalibus, sed Rega-  
„ libus indumentis, tenens in manu non  
„ baculum pastoralem, sed quasi sceptrum  
„ regale, cuius facies non apparebat in-  
„ tegra, sed dimidia, tanquam in illa  
„ medietate reipiceret aliam medium,  
„ quæ tamen tota vacua remanebat, sed  
„ quædam imago videbatur ex ea fuisse  
„ delecta, quia cera in ea parte noc in

„ colore nec in planicie reliquæ parti  
„ similis apparebat: unde non Episcopi  
„ sed Imperatoris videbatur fuisse sigil-  
„ lum, quia in una medietate Cæsaris  
„ imaginem exprimebat, & in altera  
„ medietate præsumebatur vel filii vel  
„ conjugis imaginem habuisse: nam in  
„ ipso sigillo nullæ aliæ literæ appare-  
„ bant, nisi quæ nomen proprium cum  
„ hac adjectione *Dei gratia* designabant.  
„ Sed cum proprium nomen Episcopi  
„ fuerit Luitardus, in nomine proprio,  
„ quod exprimebat sigillum, deletæ fue-  
„ runt duæ literæ: secunda quæ erat in-  
„ ter l. & t. & sexta, quæ fuerat inter  
„ r. & u. ita quod si secunda o. & sex-  
„ ta fuisset i. procul dubio non Luitar-  
„ dus, sed Lotharius legeretur: quod  
„ etiam inde convinci poterat, quod se-  
„ cundum dispositionem aliarum litera-  
„ rum inter l. & t. duæ literæ sint di-  
„ versæ: præterea inter r. & u. tam  
„ modicum erat spatium, ut in ea nec  
„ hæc litera d. quæ magius occupat spa-  
„ tium, sed hæc litera i. quæ minimum  
„ occupat, videretur formata fuisse:  
„ Kursus cum cera sigilli ab interiore  
„ parte vetustissima esset, cera quæ po-  
„ sita erat ab exteriori parte, quasi ad  
„ conservationem sigilli, recens erat &  
„ mol-

„ mollis. Quod cum diligenter in-  
„ vestigatum fuisset, certo certius est  
„ compertum, quod sub sigillo charta  
„ fuerat perforata, ut per glutinum no-  
„ vae ceræ, quæ posita fuerat exterius,  
„ quasi ad conservationem sigilli, vitiose  
„ fuit ipsi chartæ subiunctum. Eadem  
„ falsitatis specie, per vitiosam videlicet  
„ appositionem sigillii, cætera fere pri-  
„ vilegia Romanorum Impp. præter pri-  
„ vilegium Henrici, vel falsa reperta sunt,  
„ vel falsata. Sed & ipsum Henrici privi-  
„ legium ad fidem instruendam non videba-  
„ tur sufficere, quia nec publica ma-  
„ nu confectum, nec sigillum habebat  
„ authentieum, eo quod erat ex media  
„ fere parte consumptum, nec plus de  
„ nomine proprio, nisi ultima medietas,  
„ videlicet *icu*s; nec de cæteris literis,  
„ nisi hæc adjectio *Dei Gratia* appare-  
„ bat, ita quod ex literis ipsis non ma-  
„ gis poterat comprobari fuisse sigillum  
„ Henrici, quam Ludovici. Instrumen-  
„ tum quoque sententiæ multis modis  
„ inveniebatur suspectum, tum quia in  
„ ipso quædam apparebant lituræ: tum  
„ quia subscriptio Notarii videbatur ma-  
„ nus alterius fuisse, quam subscriptio  
„ instrumenti, cum tamen Notarius in  
„ subscriptione profiteretur se instrumen-  
„ tum

„ tum manu propria conscripsisse. Lite-  
„ ra quoque recentior videbatur quam  
„ charta, & aqua videbatur encaustum  
„ infectum, ut antiquius appareret. In  
„ omnibus autem Imperialibus privilegiis  
„ quæ posteriora fuerant, nulla est ha-  
„ bita mentio de illa sententia, quamvis  
„ in eorum aliquibus mentio facta fuerit  
„ Luitardi, qui dicebatur donationem  
„ fecisse &c. „ Post hoc tam rigidum  
& diuturnum examen Instrumentorum &  
Diplomatum tum Episcopaliū tum Im-  
perialium denique Innocentius Papa sen-  
tentiam tulit his verbis: *Cum autem su-  
per his fuisset diutius litigatum, quia  
legitime probata non fuerant, quæ pete-  
bantur ad monasterium pertinere, ab im-  
petitione ipsius Procuratorem tuum no-  
mine tuo & Mediolan. Ecclesiæ sententia-  
liter duximus absolvendum: quoniam cum  
obscura sunt jura partium, consuevit con-  
tra eum, qui petitor est, judicari.*





## C A P U T V. OECONOMIA DIPLOMATUM.

### §. I.

*Invocatio, Inscriptio, Expositio caussarum, & Enumeratio bonorum.*

### XXVI.

**E**xplorata īdole, & lustrato veluti propylaeo ad ipsum corpus Diplomaticum inspiciendum examinandumque nos modo accingamus. Variis illud partibus constat, quarum singulæ considerationem nostram merentur. Has in compendio exhibit, totamque structuram ante oculos ponit auctor quidam Anonymus in libello *Syntagma dictandi* inscripto, quem ex Codice Metensis Ecclesiæ ante annos quingentos exarato Mabillonius protulit, his verbis: *Solet prima linea præceptorum (id est Diplomatū) longis & aequalibus literis figurari, initium autem præceptorum hujusmodi est: In nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis Heynricus Gratia Dei Imperator Augustus. Post illum prologum introducitur quasi persona Imperatoris (idem est de Principe, vel alio*

alio in dignitate constituto, qui diploma concedit) loquentis reddentisque caussam, qua inductus illud voluerit præceptum statuere, dicens Regiae dignitati compete-re, ut talium virorum, a quibus ipse ro-gatus est, non debeat contemnere preces, vel quam valuerit facere illius edendi præcepti vel mundiburdii justam causam insinuans. Post hæc, quod ille loco illi vel homini sua auctoritate concedat vel robo-ret, erit illud subinferendum. In fine vero præcepti erit illud locandum, ut quicun-que contra illius præcepti decretionem fe-cerit, mille auri optimi libras, vel quodlibet aliud pretium, quod instituerit Imperator, se persoluturum cognoscat, me-dietatem Regiae Cameræ, & medietatem loco vel homini illi, cui illud præceptum conscribitur. Post hæc, quod Imperator propria manu subscripsérít, & proprio signari sigillo jussérít, erit adjiciendum.

Post conceptum decretum monogramma est ponendum in quo nomen Imperatoris Augusti Dei gratia babeatur connexum, vel alia quælibet, quæ Imperatorem con-decat: ex utraque autem monogrammatis parte longioribus literis scriptum erit sig-num Domini illius Imperatoris Serenissime vel Augusti, vel aliud quodlibet bujusmodi.

*Post monogramma prolixioribus & paribus literis: Heinricus vel A. Cancellarius vice G. Vercellensis Episcopi recognovi istud factum. In ultima chartæ linea quoto anno a Domini Incarnatione, & quota Indictione, & quo Regni vel Imperii illius Imperatoris anno & quo loco, literis erit communibus conscribendum.* Ita graphice totam diplomatis authentici œconomiam describit præfatus Auctor, cuius quoddam schema exhibit Tabula XV. Liquet autem ex his, octo esse rite conditi Diplomatis partes, nimirum: 1. *Invocationem.* 2. *Inscriptionem seu titulam,* quem sibi vel aliis tribuit Princeps. 3. *Expositionem caussarum, ob quas precibus annuit, vel favorem concedit.* 4. *Enumerationem bonorum & jurium, quæ conferuntur.* 5. *Clausulam, in qua subscriptionis factæ ac impressi sigilli mentio fit.* 6. *Ipsam Subscriptionem additumque signum seu Monogramma.* 7. *Sigillum.* 8. *Chronologiam seu notam temporis concessi vel dati diplomatis.* De his singulis modo distinctius agendum est, quum ex eorum notitia vel maxime pendeat judicium de legitima diplomatum auctoritate integritateque.

*Invocatio: A Jove ducentum esse principium jam monuerunt Veteres Sophi:*

*est-*

estque hic usus antiquissimus, atque videtur adhibita esse invocatio Divini nominis ad majus robur scripturæ concilian-dum. Nam ut ait S. Chrysostomus (u): *Si Consulum nomina faciunt, ut firma sint instrumenta, multo magis nomen Christi.* Sub Merovingicis Regibus invaluit formula: *In nomine Domini Iesu Christi;* *In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti:* *In nomine Dei æterni, &c.* Carolus Calvus autem ad pristinam rediit, in cuius omnibus fere diplomatis eam invenisse se testatur Papebrochius (x) vividelicet: *In nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis.* Atque postmodum in communem fere usum transit, ita ut hodie etiam ultimæ voluntatis tabulæ hoc veluti prologo insignitæ sint.

*Inscriptio*, seu titulus. Hac usi sunt Principes tanquam prærogativa, qua tum auctoritatem ac majestatem diploma concedentis, tum benevolentiam æstimationemque ergo illum, cui concedebant, publice demonstratum ibant. Varii fuerunt hi tituli pro varietate temporum. Sic legimus HLOTHARIUS vel KAROLVS divina ordinante providentia, vel gratia Imperator Augustus ... Conradus divinæ lar-

(u) Homil. 9. (x) Propyl. p. 1. s. 29.

largetatim munere, vel divina auxiliante clementia Rex... Fridericus divina favente Clementia Romanorum Rex, & semper Augustus, & Rex Siciliae... Conradus Divi Augusti Imperatoris Friderici secundi filius. Dei gratia Romanorum in Regem electus, semper Augustus, & beres regni Jerusalem... Sigebertus Rex Francorum Vir Illustris... Ego Aistulphus praecellentissimus Catholicus Longobardorum Rex... Rogerius in Christo Deo Fidelis & potens Rex Siciliæ... Henricus II. Servus Dei & Romanorum Imperator semper Augustus secundum voluntatem Dei Salvatoris nostri que Liberatoris &c. Alium ab his morem in Bullis suis observant Pontifices: praetermissa enim ut plurimum Invocatione initium statim ducunt ab Inscriptione, nomenque suum praemittunt nominibus illorum, etiam Regum ac Principum, ad quos literas suas dirigunt, quod in usum deduxit Nicolaus I. praeunte Pauli I. exemplo, cuius Bulla ad Pippinum data incipit: *Paulus Episcopus Servus servorum Dei praecellentissimo filio Pippino Regi Francorum.* Nam ante Nicolaum aliquando nomen suum postposuisse, aliquando preposuisse leguntur. Titulo autem, quem adhibent, *Servus servorum Dei*, occasionem dedit fastus Joannis Patriar-

triarchæ Constantinopolitani, qui Romani Pontificis obedientiæ se subducturus Oeconomici seu Universalis Episcopi nomen sibi arrogavit: hunc ut deprimeret Gregorius M. Papa, cuius exemplum postea reliqui omnes sunt secuti, titulum *Servi servorum Dei* adscivit. Qua vero ratione compellent eos, quibus Bullas & literas indulgent, patet ex Jure Canonico (y), in quo Innocentius III. ad Attinatensem Episcopum ita loquitur: „Apostolicæ sedis consuetudinem in suis litteris hanc tenere, ut Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos *Fratres*, ceteros autem Reges, Principes, vel cujuscunque ordinis *Filios* in nostris litteris appellemus,, , additis tamen prænominibus Regum ac Principum, quos *Excellentissimos*, *Præcellentissimos*, *Charissimos*, *Gloriosos Filios* nuncupare solent. Reges vero ac Principes, dum dignitate se inferiores alloquuntur, eos vocant *Viros Inlustres*, *Dilectos*, *Fideles*, *Nobiles*, *Venerabiles*. ( si sint Episcopi vel Abbates) Ita in Dagoberti Regis Francorum diplomate legitur: *Dagobertus Rex Francorum Viris Inlustribus... Theudericus Rex Francorum Vir Inluster Venera-*

(y) *Decretal. l. 5. tit. 20. c. 6.*

*merabili Viro Bertino Abbatii de Monasterio Sitdiu.* Præter hæc tum Pontifices Sacrique Antistites, tum Imperatores, Reges ac Principes majoris auctoritatis gratia numerum pluralem pro singulari adhibere consueverunt, aliquando in ipso Inscriptionis limine: *Nos Dei gratia &c.* plerumque autem in ipso contextu diplomatum hisce formulis: *Igitur nos re ipsa considerantes præcipimus, concedimus, edictum nostrum, auctoritate nostra, subditis nostris, privilegio a nobis concessò &c.*

*Expositio cauſarum, quæ ad concedendum beneficium movent.* Hæc sæpius velut præmisso proæmio exponuntur, suntque vel gloria Dei, Imperii felicitas & incrementum, regiæ clementiæ ac liberalitatis documentum &c. vel merita majorum, præstitum obsequium aut auxilium, officii dignitas &c. vel animæ salus, remedium pro pœnis peccatorum exsolvendis, beneficium per preces & pia aliorum opera obtinendum &c. Hæc postrema movens cauſa sæpiſſime occurrit in diplomatibus & literis fundationum, donationum, largitionum Monasteriis, Nosocomiis, locisque sacris factarum, additionis formulis: *ob remedium, ob mercedem animæ, ob præsentis vitaे prosperitatem,* &c.

¶ futurae beatitudinem &c. Exemplum  
est diploma Caroli Calvi Imperatoris  
Religiosissimi, quo villas quasdam Regio  
Compendiensi Monasterio donat, ab Ache-  
rio erutum e Tabulario hujus monaste-  
rii (z). „ In nomine sanctæ & indivi-  
„ duæ Trinitatis: Karolus ejusdem Dei  
„ Omnipotentis misericordia Imperator  
„ Augustus. Quidquid voto aut gratia-  
„ rum actione Deo omnipotenti offeri-  
„ mus, cui non solum omnia quæ ha-  
„ bemus, quæque de manu ejus accepi-  
„ mus, sed etiam nosmetipso debemus,  
„ qui nos & prædecessores nostros nullo  
„ nostro merito, sed sua benignissima  
„ gratia regium in stemma evehere di-  
„ gnatus est; hoc nobis ad præsentem  
„ vitam felicius transigendam, & ad fu-  
„ turam uberioris capessendam consequen-  
„ tius fore nullo modo dubitamus. Proin-  
„ de quia divinæ recordationis Impera-  
„ tor Avus scilicet noster Karolus, cui  
„ divina providentia Monarchiam totius  
„ hujus Imperii conferre dignata est, in  
„ palatio Aquensi Capellam in honore  
„ Beatæ Dei Genitricis & Virginis Ma-  
„ riæ construxisse, ac Clericos inibi Do-  
„ mino ob suæ animæ remedium atque  
pec-

(z) *In Spicilegio tom. X.*

,, peccaminum absolutionem, pariterque  
,, ob dignitatem apicis Imperialis deser-  
,, vire constituisse, ac congerie quamplu-  
,, rima Reliquiarum eundem locum fa-  
,, crasse, multiplicibusque ornamentis ex-  
,, coluisse dinoscitur; nos quoque morem  
,, illius imitari, ceterorumque Regum  
,, & Imperatorum Prædecessorum scilicet  
,, nostrorum cupientes, cum pars illa re-  
,, gni nobis sorte divisionis nondum con-  
,, tigerit, infra tamen potestatis nostræ  
,, ditionem, in palatio scilicet Compen-  
,, dio, in honore gloriosæ Dei genitricis,  
,, ac perpetuæ semper Virginis Mariæ  
,, monasterium, cui Regium vocabulum  
,, dedimus, fundotenus exstruximus, &  
,, donariis quamplarimis Domino adju-  
,, vante ditavimus, atque Clericos inibi  
,, numero centum pro statu sanctæ Dei  
,, Ecclesiæ, pro genitoribus atque pro-  
,, genitoribus nostris, conjugè & prole,  
,, proque totius regni stabilitate jugiter  
,, Domini misericordiam implorare de-  
,, crevimus &c., Eiusmodi proæmiis  
caussas impellentes exponentibus subjunc-  
gitur plerumque promulgatio voluntatis  
Regiæ vel Imperatoriæ sequentibus for-  
mulis: *Notum sit omnibus præsentibus pa-*  
*riter & futuris... Noverit omnium tam*  
*præsentium quam futurorum industria...*

inde

inde volumus ad singularem fidelium no-  
 strorum præsentium & futurorum noti-  
 tiā pervenire. Ita in diplomate, quo  
 Abbatii S. Dionysii datum privilegium lo-  
 ci Salone dicti confirmatur, Carolus M.  
 Imperator loquitur: „Carolus gratia Dei  
 „ Rex Francorum & Longobardorum,  
 „ atque Patricius Romanorum. Opor-  
 „ tet serenitas nostra ut ea, quæ a fide-  
 „ libus nostris postulata fuerunt, juste  
 „ & rationabiliter pro servitio & fideli-  
 „ tate, quæ circa genitorem meum Pi-  
 „ pinum Regem, & circa me habere  
 „ videntur, eis impertire debeamus.  
 „ Notum sit omnibus fidelibus nostris  
 „ tam & præsentibus, quam & futuris,  
 „ qualiter veniens Folradus Capellanus  
 „ Palatii nostri, & Abba S. Dionysii no-  
 „ bis retulit privilegia &c.,,

*Enumeratio bonorum & jurium.* Hanc  
 partem, quæ veluti historica est, distin-  
 gue ac minutatim persequuntur diploma-  
 ta & vetustiora & recentiora, ut quan-  
 tum fieri possest, dubius ac litibus omnis  
 via præcludatur. Formulæ generales  
 enumerandi hæc bona & jura sunt:  
 „ Transfundimus villas nuncupantes il-  
 „ las, sitas in pago illo, cum terris,  
 „ domibus, ædificiis, acculabus, man-  
 „ cipiis, vineis, silvis, campis, pratis,

„ pascuis, aquis, aquarumque decursibus, viis & inviis, exitibus & regres-  
 „ sibus, adjunctis, adjacentibus, appen-  
 „ diciis, peculio utriusque sexus, mobi-  
 „ libus & immobilibus &c. . . . in un-  
 „ dique, in traha, in pascuis, in mate-  
 „ riam inibus, in aquis &c. . . . telo-  
 „ neum, mercatum, & quidquid ad  
 „ fiscum pertinebat &c., Hæc & simi-  
 lia longa serie enumerantur atque legun-  
 tur in eo, de quo prius dixi, Diploma-  
 te Caroli Calvi Imperatoris.

## §. II.

*Clausula, subscriptio, Sigillum, &  
Cronologia.*

## XXVII.

**Clausula**, qua diplomatum contextus atque periodus absolvitur, duo potissimum complectitur: primum sunt poenæ ac minæ, quæ in prævaricatores statuantur: alterum est subscriptionis ac impressi Sigilli mentio, quæ adjicitur. Ad primum quod adtinet, poenæ ac minæ ad tria capita revocantur, videlicet I. ad multam vel in ære, vel etiam in cute solvendam. Ita statuit Ludovicus II. Imp. Occidentis: *Quod qui præsumperit,*

rit, & hanc nostræ auctoritatis eviden-  
tissimam præceptionem vel in minimo vio-  
lasse convictus fuerit, multam triginta  
libras argenti probatæ monetæ publicæ  
sancto ac reverendo cœnobio componere  
compellatur. Ita Concilium Romanum  
anno 1002. sub Sylvestro Papa: ut qui-  
cunque Perusinæ Ecclesiæ Episcopus hanc  
definitam litem renovare tentaverit (nem-  
pe Cœnobio Perusino) decem libras pu-  
rissimi auri Lateranensi palatio compo-  
nat. Ita Concilium Toletanum XII. an-  
no 681. Quodsi nihil babuerit faculta-  
tis, unde prædictam compositionem per-  
solvere possit, absque alio infamio sui  
quinquaginta eum oportebit iictibus ver-  
berari. II. ad anathema, quod Excom-  
municationem vocamus. Sic lex Aleman-  
norum tempore Clotharii Regis ait:  
*Dei judicium incurrat, & excommuni-  
cationem sanctæ Dei Ecclesiæ.* . . . Odo  
Rex in diplomate pro Ecclesia S. Hilarii  
Pictaviensis: *Sub anathemate perpetuo  
sciat se esse damnandum.* . . . Richardus I.  
pro Monasterio Anglicano: *Nos vero,  
quantum potest Rex, excommunicamus &  
concedimus, quod incurrat indignationem  
Dei Omnipotentis, quicunque contra hoc  
facinus venerit.* III. ad diras & impreca-  
tionem judicii divini, fortis Judæ, Da-  
than

than & Abiron &c. Gregorius Nazianzenus in literis testamenti sui qui vero inquit *ipsum evertere tentaverit, rationem reddet in die Iudicii, & poenam sustinebit.* . . . Aredius Abbas in tabulis ultimæ voluntatis suæ : *Et veniet illi maledictio, quam psalmus continet in Judam Iscariotis centesimus octavus.* . . . Chindasvintus Rex illi, qui diploma Complutensi Monasterio concessum violaret, comminatur anathema Marantha, id est, ut duplice perditione damnatus sit: ut etiam de hoc seculo, sicut Dathan & Abiron vivus terræ continuo absorbeatur lacu. . . Ludovicus Pius in diplomate Cœnobii Fossatensis violanti præceptum imprecatur, ut cum Caipha, & Pilato, Juda quoque traditore Domini pœnas sustineat atque cum Principe dæmoniorum sedem gebennalem. Quod spectat ad subscriptiones, & sigilli impressi mentionem, ceu alteram clausilæ partem, hæc in omnibus genuinis diplomatis observatur, sed diversis pro varietate extatum formulis constat, eg: *manu nostra subtus illud firmavimus, annulique nostri impressione insigniri fecimus.* . . . *manu nostra subtus firmavimus, & sigilli nostri impressione jussimus roborari . . . manu nostra subterfirma- viimus,*

simus, & bullarum nostrarum impressio-  
nibus insigniri jussimus. E quibus for-  
mulis adparet, modo annuli, modo sigil-  
li, quin & bullarum voce ad eandem  
rem significandam usos fuisse diploma-  
tum Condidores, ita tamen, ut annuli  
vocabulo antiquitus usurpato nomen  
sigilli serius fuerit substitutum. Prete-  
rea tria sunt, quæ in hac secunda parte  
clausulæ solent exprimi, scilicet mentio  
scripturæ, subscriptionis regia manu fa-  
ctæ, & sigilli impressi; quæque luouen-  
ter exprimuntur in diplomate Conradi I.  
Radobodono Episcopo Ultrajectensi da-  
to: *Idemque scriptum nominis nostri  
signo, nostræque imaginis sigillo, cum  
manus nostræ scriptione firmaremus &c.*

*Subscriptio ipsa*, additumque signum  
seu Monogramma, & Sigillum. Ritus  
subscribendi hic erat: propria manu ad-  
ponebatur nomen Regis, Imperatoris,  
Principis &c. addito signo figuram  
crucis præferente, vel simplicis, ut  
† in *Christi nomine Theudericus Rex*  
*subscripti: signum + Pippini glorioissi-  
mi Regis*: vel ex literis compotæ,  
quemadmodum exhibit Tabula XIV.  
Quippe Imperatores, Reges, & Princi-  
pes in signandis diplomatum monumen-  
tis, aliisque scripturis inde a Caroli M.  
tem,

temporibus scriptionis compendium adhibuerunt, ac nominis literas per singularem quandam notam & characterem expresserunt, qui Monogramma appellatur. Est enim Monogramma nomen compendio descriptum, & ex literis ejusdem nominis inter se ope crucis vel aliarum linearum junctis concinnatum. Originem hujus rei Mabillonius (a) petit a cruce seu signo Constantini M. qui ut refert Lactantius (b) commonitus est in quiete, ut cœlesti signum Dei notaret in scutis, atque ita prælium committeret. Fecit ut jussus est, & transversa X litera summo capite circumflexo Christum in scutis notat. Hoc postea signum characteristicum fuisse depictum ait ex Rabano, in imaginibus parietum, velis, aliisque rebus sacris, e quibus ad chartas & diplomata translatus fuit hic usus. At melius originem Monogrammatis deducit Popebrochius (c) a primo Christianorum ævo. Constat enim, inquit, morem apud Christianos antiquissimum fuisse in signandis pactis, aliisque instrumentis formare crucem +, cui is qui subsignabat, sua vel aliena manu,

(a) *De re Diplom.* c. 10. (b) *De Mort. Persecut.* c. 44. (c) *In Propyl. antiquit,* parte I. c. 4.

manu, prout literarum erat peritus aut rudit, proprium adscribebat nomen: Quin Cæsarum æque ac Conciliorum legibus statutum fuit, ut si quis ducere lineas, nomenque suum nequiret, id quidem per alium fieret, ita tamen, ut ipse, cuius interesset, crucis signum suante manu præponeret. Tum vero hujusmodi simplici cruce Reges ac Princes non contenti eandem instruxerunt, ornaveruntque nominis sui literis ipsi cruci adnexis. Porro existimat Mabilionius, omnes & singulas nominis literas in Monogrammate contineri debere. Sed ex adductis a Papebrochio exemplis rursus constat, hoc adeo necesse non esse, ut quo antiquiora sunt Monogrammata, eo fuerint simpliciora, & crucis figuræ similiora. Illud certius, primum fuisse Carolum M. qui monogrammati usum in diplomata invexit, qui usque ad Fridericum III. Imperatorem continuatus fuit. Verum alia facies Monogrammatum fuit apud Pontifices. Quippe in eorum bullis nullum adparet ante Leonis IX. tempora. Hic non crucis sed circuli figuram elegit, cui nomen suum inscripsit, cum epigraphe geminas intra cruces expressa: *Bene valete,* quibus alii Pontifices Petri & Pauli no-

mina

mina quoque addiderunt auctore, ut creditur, Urbano II. Subscriptioni Regiae vel Imperatoriæ mox subiecta fuit *Cancellarii*, vel *Archicapellani*, vel *Referendarii*, vel *Notarii* subscriptio. (Tab. XV.) Nomina hæc a diversis muneribus orta faerunt. *Referendarius* dicebatur, qui causas & Judicum sententias, vel supplicum vota exponebat Principi, ejusque responsa referebat. *Cancellarius* dictus est a cancellis, quibus munta erant publica tribunalia, cujusque munus fuit invigilare, ne cuivis promiscue ad sacratiora judicii loca pateret aditus: idem quoque scribæ officio fungebatur. *Notarius* primum ab epistolis & secretis erat; postmodum etiam *Cancellarii* manus obibat. *Archicapellanus* summo Concellario, qui & *Archicancellarius* & *Pronotarius* fuit nuncupatus, adsistebat in rebus ad officium suum pertinentibus. In antiquioribus Regum ac Imperatorum diplomaticis reperitur ut plurimum subscriptio *Notarii ad vicem Referendarii* aut *Cancellarii*: in recentioribus vero *Cancellarii ad vicem Archicapellani*. Formulae subscribendi fuerunt, prioris quidem generis: *Dado obtulit, Agbilbertus recognovit, Wefolaicus jussus subscripsit: posterioris vero Widolai-*

gus Notarius ad vicem Caucellarii Radonis, Salomon Cancellarius ad vicem Pilgrimii Archicapellani recognovit. Paullo aliter se res habuit in Bullis Pontificum, in quibus subscripsere nomina sua tum Notarius seu *Scriniarius*, tum Cancellarius. Et Notarii quidem nomen ex vestigio post contextum bullæ sequebatur hoc modo : *scriptum per manum seu manus N. Notarii, Regionarii, Scriniarii S. R. E. additis mense, & indictione.* Tum majoribus literis ad latus inter cruces adparuerunt verba illa *Bene valete vel nudis, vel monogrammati* instar diductis characteribus: ac demum *Datum seu Data X. Kal. Novemb. per manum seu manus eg. Anastasii Bibliothecarii S. R. E. quippe Bibliothecarius plerumque Cancellarii munere fungebatur: in hujus vero vel absentis vel impediti vicem adscribebat nomen suum Secundicerius Notariorum, ac si dicas, secundus Notariorum: in brevibus vero Rescriptis solus Primicerius, quasi Princeps Notariorum subscriptis.* (Tab. XVII.)

*Sigillum.* Post subscriptiones hasce velet per ambages ad signanda instrumenta & diplomata percurrentum est, qua redemum plena fides ipsis conciliabatur, quum sic non vagam aliquam Notarii

manum, sed ipsam Principis sacram im-  
ginem, tanquam omni exceptione ma-  
jorem auctoritatis & antiquitatis suæ te-  
stem, & omni tempore exhibere posse.  
Mos autem obsignandi ex annulis, queis  
effigies fuerunt insculptæ, ad sigilla  
translit. Primo quidem adhibebantur  
annuli ad ornamentum digitorum: unde  
Plautus false invehitur in eos, qui e di-  
gitis hoc ornamentum ad aures transtu-  
lerunt, dum ait (d): *atque ut opinor  
digitos in manibus non habent.* *Quid  
jam? quia incedunt cum annulatis auribus.*  
Dein ad signum libertatis: ita apud  
Romanos libertus annulo donatus habe-  
batur pro ingenuo, sic ut omnes magi-  
stratus & honores consequi posset non  
minus quam ingenuus, uti refert Ale-  
xander ab Alex (e). Tum ad natalium  
ac officii dignitatem demonstrandam:  
non enim erat initio nisi Senatoribus &  
Equitibus permisum gestare annulos;  
postea vero viris primi ordinis aureis,  
inferioris vero argenteis, servis autem  
ferreis uti licuit. Certe Mago Cannen-  
sis victoriæ nuncius in Curiae Carthagi-  
nensis vestibulo ingentem aureorum an-  
nulorum acervum effundi jussit, ut fidem  
faceret, quanta Romanorum Equitum

No-

(d) In Poenæ. (e) Lib. 2. c. 29.

Nobilium strages ea in pugna accidisset, teste Livio (f). Legatis quoque suis ad exteras gentes missis Romani aureum annulum velut muneric insigne tradiderunt. Præterea ad fidem conjugalem significandam: nam annulus pronubus apud veteres Romanos sponsæ dono mittebatur a viro e ferro durissimo, & sine gemma ad fidelitatem omni ferro duriorrem indicandam, quemadmodum scribit memoratus Alexander (g): Similiter nostris etiam temporibus in Ecclesia nuptialis annulus benedicitur a Pastore dicente: *Accipe annulum fidei nuptialis.* Denique ad signandas epistolas chirographa, aliasque chartas, etiam publicas, ut iis plenior fides haberetur. Ita legimus (h) Assuerum Regem Amano in crucem acto annulum ab eo receptum dedisse Mardochæo ad signandas publicas literas, quibus decretum Iudeis ab eodem Amano excidium revocaretur. Macrobius quoque testatur (i), veteres signandi caufsa annulum circumtulisse: unde nec plures habere quam unum licuisse, nec cuiquam alteri nisi liberto, quos solos fides deceret, quæ signaculo continet.

(f) *Lib. 3. de bello Punico.* (g) *Lib. 2. c. 19.* (h) *Eſther. c. 8.* (i) *Lib. 7. Sæturn. c. 13.*

tinebatur. His insculpi curabant im-  
ginem suam, vel nominis monogramma,  
quod postmodum ceræ nunc albæ, nunc  
viridi, nunc rubræ impresserunt, sicque  
impressum dicebatur *sigillum*. Omnia  
hæc, materiem formam & instrumen-  
tum, paucis verbis complectitur Tullius  
(k) dicens: *Quid si ejusmodi ceræ cen-  
tum sigilla hoc annulo impressero?* Ve-  
rum succedentibus temporibus, maxime  
medio ævo, annulis substituta fuerunt  
sigilla, magnitudine illis longe superio-  
ra, pleraque pensilia, in quibus initio  
sola Regum & Principum capita: post  
dimidiatae effigies, aliquando etiam inte-  
græ figuræ comparebant vel sedentium  
in solio cum corona & sceptro, aliisque  
insignibus, vel equo sublimium cum  
hasta, clypeo, & lorica. Neque in ce-  
ra duntaxat, sed etiam in plumbo, ar-  
gento & auro imagines ejusmodi ex-  
pressas cernere licet. Porro his sigillis  
nomina fuerunt inscripta literis Romanis  
aurei seculi, quæ tamen in Antiquiori-  
bus permixtae visuntur sæpius cum bar-  
baricis. At Pontificum sigilla primum  
ceræ, deinde etiam plumbo fuerunt im-  
missa, nulla certa effigie adhibita, usque  
dum Urbanus II. aliquique post ipsum Pa-

px ex una Bullæ parte nomen suum v. g. Urbanus II. P. P. ex altera vero nomina SS. Apostolorum Petri & Pauli interjecta cruce, ac inscriptione in orbem ducta adposuerint. *Bulla* sigillo plumbeo, *Brevia* vero ut vocant, a quadringentis retro annis obsignari solent annulo Piscatoris, in quo sola Divi Petri adest imago, eo habitu, quo e navicula in mari piscatus est. Ex his sigillis tum sacri tum profani ordinis aliqua fuerunt affixa ipsis membranis Bullarum & Diplomatū, alia fasciis e membrana eadem vel corio in crucis modum decussatis adpensa, perforatis chartis, ut essent fidei publicæ munimentum adversus fraudes, uti pridem animadvertisit Suetonius (1): *adversus falsarios tum prium repertum, ne tabulae, nisi pertusæ, ac ter lino per foramen trajecto obsignarentur.*

*Chronologia* denique, quæ quantum ad Diplomata pertinet, tres partes complectitur, nimirum annum & diem, Indictionem, tempus regiminis. Vetusta erat Alemannorum lex, ut scriptura non valeat, nisi in qua annus & dies evidenter ostenditur. Varia tamen fuit annos com-

(1) In Nerone c. 17.

computandi methodus. Romani ante Numam Regem decem duntaxat mensibus annum definiebant, eumque a Februario ordiebantur. Verum additis a Numa duobus mensibus Januario & Februario deinceps initium anni a Januario duxere. Atque hic mos posterior etiam ab Ecclesia Romana fuit observatus teste Gervasio Dorobernensi: *annus solaris*, inquit, secundum Romanam traditionem & Ecclesiae Dei consuetudinem a Kalendis Januarii sumit initium: in diebus Natalis Domini, hoc est, in fine Decembris sortitur finem. Alii vero populi, nominacim Galli & Alemani vel a mense Martio vel a Paschate illud inchoarunt. Communissimus tamen annos numerandi modus est, ac in diplomatis civitate donatus, ut a Nativitate Christi initium fiat, id quod Dionysio Exiguo, qui Justiniani Imperatoris temporibus Seculo VI. vixit, scriptores tribuunt, etiamque Christianam vocant: octavo autem seculo primus inter historicos Ven. Beda annos *Incarnationis* adhibuit, qui mos subin a codicibus & chronicis in diplomata quoque ac instrumenta publica translatus fuit, Longobardorum ut creditur Regum voluntate usque, qui Consulum Romanorum nomina fastidien-

dientes, & Græcorum Imperatorum æram sequi deditantes annorum Christi usum in publicas suas tabulas introduxerunt. Cætera licet aliqui annos, uti dictum est, computaverint a Februarii fine, alii a Januarii exordio, seu quod fere idem est, quidam ab *Incarnatione*, aliqui a *Nativitate* Christi (istam enim novem circiter mensibus illa præcessit) satis tamen constat, utriusque annos pro iisdem habitos fuisse. Alteram Chronologiæ diplomaticæ partem diximus esse *Indictionem*, quæ quindecim annorum periodum complectitur, estque triplex, scilicet Constantiopolitana seu græcorum orientis Imperatorum, quæ a Kalendis Septembris: Constantiniana seu Cæsarea, quæ ab VIII. Kal. Octobris: & Pontificia seu Romana, quæ a Kalendis Januarii initium sortitur. Ex his Constantiniana Indictio potissimum partem ab Imperatoribus, præsertim Germanicis, in usum deducta fuit. Demum nota annorum regiminis adjectorum, quæ tertiam chronologiæ partem constituit, & diplomatibus veluti colophonem addi, Gæcis Imperatoribus jam dudum familiaris fuit, uti eorum numismata passim ostendunt, de qua re aliquid in libro de re Numaria dixi. Francica diplomata Regum suorum, ac regiminum annos pleraque commemo-

rant, a quibus etiam chronologicæ hæ notæ ad Germanicos Imperatores derivatae fuerunt. Formulae consuetæ erant: anno regni nostri &c. anno Christo propitio Imperii vel Regni nostri &c. anno ab incarnatione Christi N. regnante vel imperante glorioſiſſimo, vel piissimo N. &c. (Tab. XV. & XVII.) Non minus Pontifices a Leone IX. (qui primus videtur annos Christi Domini adhibuisse) etiam Pontificatus sui tempus prodiderunt eg. *Anno Domini Leonis IX. Papa. I. Indict. II. anno vero Dominicæ Incarnationis XLVIII.*

Atque hæc est Diplomatum Oeconomia, ex optimis Auctoribus, qui vastos & omnis generis exemplaribus atque scripturis bene fartos de iis Tomos scripſerunt, studioſe collecta, quibus coronidis loco addendas censi paucas tabellas, præcipua alphabeta, characterum formas, scripturarum diversis seculis uisitarum fragmenta quædam, & aliquorum diplomatum initia & finem continent, quum sine his lector, librorum plerumque pretiosorum auxilio destitutus, fere nullam animo ideam de re Diplomatica concipere possit. Plura vero his adjungere prohibet & instituti mei ratio, quæ brevitatem exigit, & vastissima hujus negotii moles, quæ si accuratius tractanda sit, limites vix admittit.



# INDEX

## RERUM ET VERBORUM

### LIBRI VII.

L. Indicat Librum. N. Numerum Libri.

#### A.

**A**breviationes, seu voces brevitatæ triploris generis, vel per notas, vel per literas, vel per utrasque. L.7. N. 2.

Earum exempla. L.7. N. 12.

*Abbreuiandi seu syncopandi methodus circa Seculum XIV.* L.7. N. 12.

*Actum & Datum in diplomatibus.* L.7. N. 24.

*Ætas scripturaræ quomodo e characteribus defundi possit.* L.7. N. 16.

## Index Rerum

- Alexandri VII. P. M. colloquium cum Papbrochio & Sociis de studio Diplomatico.* L. 7. N. 7.
- Alphabetum Gothicum constat triplici literarum classe.* L. 7. N. 14.
- Alcuinus commendat discipulis observationem interpongendi.* L. 7. N. 11.
- Anglo - Saxones quomodo in Britanniam intrarint.* L. 7. N. 15.
- Annuli usus multiplex apud veteres: etiam ad signandas publicas literas.* L. 7. N. 27.
- Anni varius computus apud varias nationes.* L. 7. N. 27.
- Antiquitatis scripturarum notæ: Prima character scripturæ: Secunda ratio interpongendi : Tertia Orthographia.* L. 7. N. 15.
- Archiva & Tabularia Veterum, in quibus asservabantur diplomata & chartæ.* L. 7. N. 19.
- Archivorum usus antiquissimus apud Hebræos, Romanos, & alias rationes.* L. 7. N. 19.
- Archivi Romani mentionem facit D. Hieronymus, & Papa Deus dedit.* L. 7. N. 19.
- Archiv-*

& Verborum Lib. VII.

*Archiva multa fuerunt bello & flammis  
absumpta.* L. 7. N. 19.

*Atramentum, ejusque conficiendi metho-  
dus e Plinio.* L. 7. N. 13.

B.

*Bartolini (Thomae) pronunciatum de va-  
riete scribendi.* L. 7. N. 8.

*Breviatæ scripturæ maximus usus apud  
Monachos.* L. 7. N. 12.

C.

*Caroli M. diploma concessum Abbati  
S. Dionysii.* L. 7. N. 26.

*Caroli Calvi diploma concessum Monasterio  
Compendiensi.* L. 7. N. 26.

*Characteres primi apud Romanos: eorum  
corruptio, & restitutio.* L. 7. N. 9.

*Charta duplex: una e caule fructicis apud  
Ægyptios, altera e linteis contritis.*  
L. 7. N. 8.

*Charta Augusta, Livia, Claudia &c.*  
L. 7. N. 8.

Char-

## Index Rerum

- Chartæ Ægyptiacæ seu Niloticæ usus quando cœperit.* L. 7. N. 8.
- Chartularii & Archivariorum.* L. 7. N. 5.
- Chartularium quid sit.* L. 7. N. 22.
- Chirographa Tobiae & Gabelis.* L. 7. N. 3.
- Chronologia diplomatum tria complectitur: annum & diem, indictionem, & tempus regiminis.* L. 7. N. 27.
- Clausula librorum veterum: Explicit liber Feliciter. vel: Explicitum est.* L. 7. N. 13.
- Clausula diplomatis quid complectatur.* L. 7. N. 27.
- in Codicibus Veteres Juriſconsulti addebant ad finem sumam versuum.* L. 7. N. 11.
- Compacturæ librorum variæ.* L. 7. N. 13.
- Conringius (Hermannus) impugnat diploma Lindaviense.* L. 7. N. 2.

## D.

- Diploma: bujus nominis etymologia, & origo.* L. 7. N. 1.

*Diplo-*

¶ Verborum Lib. VII.

Diplomatum magnus hoc aeo adparatus.  
L. 7. N. 1.

Diplomatis definitio ex Lazio & Budæo.  
L. 7. N. 1. 18.

Significat etiam edictum & mandatum  
Principis: hoc aeo sumitur pro In-  
strumento publico. L. 7. N. 1.

Diplomata serviunt ad eruditionem, &  
ad fidem faciendam. L. 7. N. 2.

Diplomata Carolingica, Dagobertina,  
Conradina, Henriciana, Fridericiana.  
L. 7. N. 2.

Diplomatum custodiendarum cura apud  
Majores nostros. L. 7. N. 2.

Diplomaticæ crescentis duæ catuſſæ: erudi-  
tionis studium, & lites. L. 7. N. 5.

Diplomata pleraque in membranis scriptæ  
fuerunt. L. 7. N. 8.

Diplomatum divisio in Regalia, Pagen-  
sia, & Ecclesiastica. L. 7. N. 18.

Diplomatum facies exterior. L. 7.  
N. 20.

Diplomata babent aliquid commune cum  
omnibus, & proprium singulis. L. 7.  
N. 20.

## Index Rerum

- Diplomatū scriptura in plurimis differt  
ab ea, quæ Codicū est.* L. 7. N. 20.
- Diplomatū facies interior: conscriben-  
dorum ratio cuivis ævo propria.* L. 7.  
N. 21.
- Diplomatā falsa conficiendi occasiones &  
causæ.* L. 7. N. 22.
- Remedium lacera & deperdita reficiendi.*  
L. 7. N. 22.
- Diplomatū falsorum tres classēs: Refe-  
cta, adulterata, & proprie falsa.*  
L. 7. N. 23.
- Tres modi interpolandi diplomata.*  
L. 7. N. 23.
- Diplomatū octo partes, barumque com-  
pendium.* L. 7. N. 26.

## E.

- Eleazarus Pontifex misit libros membra-  
naceos ad Ptolemæum Iphiladelphum.*  
L. 7. N. 8.
- Encaustum solis Imperatoribus ad publica  
scripta exaranda concessum.* L. 7.  
N. 13.

Exa-

¶ Verborum Lib. VII.

Examinis diplomatici exemplum insigne.  
L. 7. N. 25.

Expositio cauſſarum, quæ ad beneficium  
concedendum movent. L. 7. N. 26.

F.

Fidei firmandæ apud hebraeos ratio : per  
juramentum, per testes, per cibiro-  
grapha. L. 7. N. 3.

Formulæ Instrumentorum publicorum, &  
Confirmationum apud Germanos. L. 7.  
N. 4.

Formulæ diversæ Invocationum in Diplo-  
matibus. L. 7. N. 26.

Franci, qua ratione in Galliam venerint.  
L. 7. N. 15.

Fraudes, quæ in diplomatibus committi  
possunt. L. 7. N. 25.

G.

Gaidulphus expilat in Italia Monachorum  
tabularia. L. 7. N. 2.

Ger-

## *Index Rerum*

- Germania diplomatum & instrumentorum  
valde fœcunda est.* L. 7. N. 4.
- Germani contrabere solebant nonnisi per  
scripturas.* L. 7. N. 4.
- Germanorum modica initio cura circa di-  
plomata: postmodum maxima Secu-  
lo XVI.* L. 7. N. 5.
- Germonii (Bartholomai) S. J. encomium  
testimonis firmatum.* L. 7. N. 7.
- Gotbi quomodo Italia potiti sint.* L. 7.  
N. 15.

## I.

- Ilias & Odyssæa Homeri tota scripta in  
draconis intestino 120. pedes longo.* L. 7. N. 8.
- Inchartare: prædium inchartatum.* L. 7.  
N. 4.
- Inscriptiones variae cum titulis Imperato-  
rum, Regum, Principum &c.* L. 7.  
N. 26.
- Inscribendi bullas Pontificum modus.* L. 7. N. 26.

*Inter-*

¶ Verborum Lib. VII.

Interpuncta Veteribus vix illa: postmodum singuli versus puncto terminari solebant. L. 7. N. 11.

Interpuncta ab Aristophane inventa. L. 7. N. 11.

Ea in sacros Codices primus invexit D. Hieronymus. L. 7. N. 11. & 15.

Interpuncta per coma, colon, semicolon, & punctum. L. 7. N. 11. & 15.

In antiquissimis scripturis Romanorum nulla interpuncta: postea addita puncta singulis vocibus. L. 7. N. 15.

Invocationes in diplomatibus. L. 7.  
N. 26.

Jus Latinum ex Italia in Germaniam penetravit circa finem seculi XV.  
L. 7. N. 5.

Juramento fidem datam firmabant Abimelech & Abramus: Esau & Jacob.  
L. 7. N. 3:

L.

Lexicon diplomaticum abbreviationibus plenum Waltberi. L. 7. N. 12.

## Index Rerum

- Libri ostrographi, seu ex utraque parte  
scripti.* L. 7. N. 13.
- Libri vetusti scriniis catena alligati.* L. 7. N. 13.
- Lis diplomatica celebris inter Abbatem  
S. Donati, & Ecclesiam Mediolanensem.* L. 7. N. 25.
- Lites diplomaticæ variæ inter civitates,  
monasteria, Episcopatus, Principes &c.  
recensentur.* L. 7. N. 5.
- Literæ Gothicæ a seculo V. invaluerunt.* L. 7. N. 14.
- Longobardi quomodo Italiam subjugarint.* L. 7. N. 15.
- Ludemigii crisis intemperans in Papebro-  
chii & Germanii criticam.* L. 7.  
N. 7.

## M.

- Mabillonii (Joan.) celebre opus de re di-  
plomatica.* L. 7. N. 7.
- Ejusdem testimonium de Papebrochio.* L. 7. N. 7.

Matte-

¶ Verborum Lib. VII.

Materia, in qua olim scriptum fuit,  
triplex, membrana, p[er]p[et]rata, charta.  
L. 7. N. 8.

Membrane origo & modus eam confi-  
ciendi. L. 7. N. 8.

Membrane cur ad scribendum fuerit ad-  
hibita. L. 7. N. 8.

Minium, unde Rubricæ. L. 7. N. 13.

Monogrammata quid sint, & qualia in  
Diplomatibus & Bullis. L. 7. N. 27.

Muratorius (Ludovicus) multas scriptu-  
ras & diplomata Italiae in lucem pro-  
taxit. L. 7. N. 3.

N.

Notæ Tironis ad significandas integras  
voces. L. 7. N. 12.

Notas Tironis quinam in lucem protra-  
xerint. L. 7. N. 12.

Notis integra olim Psalteria fuerunt con-  
scripta. L. 7. N. 12.

## *Index Rerum*

*Notas fieri in libris & Instrumentis publicis vetuit Justinianus Imp.* L. 7.  
N. 12.

*Notæ antiquitatis ad discernendas scripturas.* L. 7. N. 15.

*Notæ peculiares singulis seculis propriæ.* L. 7. N. 16.

## O.

*Ordo & modus scribendi apud veteres.* L. 7. N. 13.

*Ornamenta varia & pretiosa literarum, vocum & paginarum in Manuscriptis.* L. 7. N. 13.

*Orthographia veterum secundum plerasque Alphabeti literas.* L. 7. N. 10.

## P.

*Panchariae quid fuerint.* L. 7. N. 18.

*Papebrochius (Daniel) S. J. primus Studii Diplomatici parens.* L. 7. N. 7.

Ejus

¶ Verborum Lib. VII.

- Ejus Propylæum Antiquarium circa  
membranas vetustas. L. 7. N. 7.
- Ejusdem literæ ad Mabillonum. L. 7.  
N. 7.
- Polyræ seu papyri descriptio. L. 7.  
N. 5.
- Pœnæ in adulterantes diplomata. L. 7.  
N. 22.
- Pœnæ contra diplomata agentium; multa,  
anathema, imprecatio &c. L. 7.  
N. 27.
- Postæ seu Venerorum cursus apud veteres  
Romanos quomodo fuerit institutus.  
L. 7. N. 1.
- Precurriæ & Praestariæ chartæ. L. 7.  
N. 1.
- Psalterii scriptura singularis. L. 7.  
N. 17.

R.

- Regulæ pro recto circa diplomata indicio  
ferendo. L. 7. N. 22.
- Regulæ octo ad discernenda vera diplo-  
mata a falsis. L. 7. N. 24.

## Index Rerum

- Romani fædus initum cum Iudeis in tabulas æreas referunt.* L. 7. N. 3.  
*Romanorum veterum scripturæ ac diplomata pauca supersunt.* L. 7. N. 3.  
*Rotuli seu volumina ex una solum parte scripta.* L. 7. N. 13.

## S.

- Scriptura Romana: ejus characteres unciales, cubitales, trabales, semiunciales, minutissimi.* L. 7. N. 9.  
*Scripturarum & literarum diversitas singularis pene seculis.* L. 7. N. 8.  
*Scriptura quando nitori pristino restituata fuerit.* L. 7. N. 14.  
*Scripturas discernendi difficultas, & modus.* L. 7. N. 17.  
*Scriptura Gotbica, Longobardica, Franco-Gallica, Anglo-Saxonica, vetus Germanica, tremula seu flammea.* L. 7. N. 9.  
*Scripturarum diversarum tabulas quinam typis ediderint.* L. 7. N. 12.

Scri-

Et Verborum Lib. VII.

Scripturarum formulæ ac characteres secundum ordinem Seculorum. L. 7.  
N. 14. & 15.

Scriptio per lineas & columnas. L. 7.  
N. 13.

Scriptorum de re diplomatica triplex classis, & eorum catalogus. L. 7. N. 6.

Sigilla & signa diplomatum & bullarum. L. 7. N. 27.

Stilus diplomatum. L. 7. N. 21.

Stili barbaries non obest integritati diplomatum. L. 7. N. 22.

Studii diplomatici utilitas & necessitas. L. 7. N. 2.

Subscriptiones diplomatum. L. 7. N. 27.

T.

Tabelliones seu Tabellarii unde dicti. L. 7.  
N. 1.

Testes fidei datae exemplo Abrabami. L. 7. N. 3.

Tituli in diplomatibus adhiberi soliti. L. 7. N. 26.

Vidi

*Index Rerum & Verb. Lib. VII.*

**V.**

- Vidimatio diplomatum.* L. 7. N. 22.  
*Ulphila auctor scripturæ Gotbicæ.* L. 7.  
N. 14.  
*Sacram Bibliam transtulit in linguam  
Gotbicum.* L. 7. N. 14.

**W.**

- Waltberi (Joan. Lud.) Lexicon abbrevi-  
ationum.* L. 7. N. 12.



ab. I.  
IS.

N

N Z

..  
e



Alphabetum Romanum primæ ætatis.

1. ABCDEFGHIJKLMN  
OPQRSTVWXYZ.

Aliud Alphabetum simile.

2. ABCDEFGHIKLMN  
OPQRSTVWXYZ

Fragmentum legis Romanae.

3. II. VIR. QVEI. EX. H. L.  
*Duumvir, qui \* ex hac lege*

FACTVS. CREATVS VE  
*factus*                   *creatusve*

ERITIS. FACITO IN  
*erit,      is      facito      in*

DIEBUS S CCL. PROXVS  
*diebus                   prox -*

VMEIS. Q VIBVS &c.  
*mis,                   quibus      &c.*

\* atq; legunt: ex honesto loco.



ANNA  
SARAH  
ELIZABETH  
JANE  
CHARLES  
JOHN  
FRANCIS  
GEORGE  
WILLIAM  
ROBERT  
CHARLES  
EDWARD  
FRANCIS  
GEORGE  
WILLIAM

**T**

L.

n.

z

w

g

b.

v

η  
ι-

## Alphabetum Gothicum.

1. A. E. T. A. E. H. G. H. I. R. A. M.  
N. Q. P. O. K. S. T. F. N. U. Y. X. Z.

## Scriptura Gothica.

2. E<sup>g</sup>o ENI ACC<sup>e</sup>P<sup>i</sup> A<sup>d</sup>N<sup>o</sup>  
O<sup>d</sup>E TT<sup>r</sup> A<sup>d</sup>I dI UQ<sup>b</sup>  
*Ego enim accepi a Domino  
quod et tradidi vobis &c.*

## Alphabetum Franco-Gallicum.

3. A a u. bb. c<sup>g</sup>. d d. e<sup>f</sup> f<sup>g</sup>. h i. l.  
m. n. ð. p p. q y. r. r<sup>a</sup>. a u s s<sup>t</sup>. x.  
y. z.

Scriptura Franco-Gallica  
seu Merovingica.

4. Aug<sup>usti</sup>nus discip<sup>ulus</sup> gr  
beati Ambr<sup>osij</sup>, Yppone regi  
Africæ oppidi Ep<sup>s</sup>. &c

и съмъ възлюбленъ отъ Богъ

Tab. III.

1.

m. n.

n.

uica.

i SK

Doruy

OFFIC

Ser-  
torus  
offici-

q.r.

gen  
en-

rer  
es

## Alphabetum Anglo-Saxonicum.

1. a.d b.b.c.d.u.e.F.T.h.i.l.m.n.

o.p.g.y.Y.w.n.r.t.u.x.r.y.

2.

## Scriptura Anglo-Saxonica.

OMINO meo et DI SK  
uo fulgido hiscopo Ysidorur  
sunc guisirume oriym noffig  
orum &c.

*Domino meo et Dei Ser-  
vo Fulgentio Episcopo Ysidorus  
Episc. Quaris a me originem offici-  
orum &c.*

## Alphabetum Longobardicum.

3. u. d. b. c. d. e. f. g. h. i. l. m. n. d. p. q. r.  
s. t. u. x. v. z.

## 4. Scriptura Longobardica.

iciunt uent quis principibus diligen-  
tiae studiu fuisse. uetus ienit adyer-  
tia studiu fuisse, ut eis amatores  
quidem ornimentorum. &c.  
quidem ornamentorum &c.



**XII**

**IV.**

**x**

**-**

**n**

**de.**

**l**

**z.**

**ia=**

**li=**

**l**

**T.**

**1**

**R**

**ri**

**!**

**1.**

**z.**

*Ad Lib. VII.* Scriptura Seculi VI. *Tab. IV.*

1. *AnGnVlum uaxerlunr vbe*  
*Tunc non solum ut periurii rea-*  
*dui mlyvrum / Kludum L*  
*tus incurram secundum Leges, &c.*

2. *u a b C d d E E f z z g h*  
*l l L l m n s o p a r*  
*n p v d a u x v*

( ) ( ) ( )  
Alphabetum Carolinum  
seu Francicum.

3. *W E D F G H K M N G Q R P Y X*

Scriptura Carolina.

4. *W V J H E R S Z P Y M F R W E D R M U I . A C .*  
*atq; idecrea V a p i martyr beatissimus.*

Alphabetum Psalterii.

5. *a. a. b. c. d. e. e. f. p. z. g. h. i. t. l. m.*  
*m. n. o. p. q. r. R. p. s. t. u. x. x. d. b.*

11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50  
51  
52  
53  
54  
55  
56  
57  
58  
59  
60  
61  
62  
63  
64  
65  
66  
67  
68  
69  
70  
71  
72  
73  
74  
75  
76  
77  
78  
79  
80  
81  
82  
83  
84  
85  
86  
87  
88  
89  
90  
91  
92  
93  
94  
95  
96  
97  
98  
99  
100  
101  
102  
103  
104  
105  
106  
107  
108  
109  
110  
111  
112  
113  
114  
115  
116  
117  
118  
119  
120  
121  
122  
123  
124  
125  
126  
127  
128  
129  
130  
131  
132  
133  
134  
135  
136  
137  
138  
139  
140  
141  
142  
143  
144  
145  
146  
147  
148  
149  
150  
151  
152  
153  
154  
155  
156  
157  
158  
159  
160  
161  
162  
163  
164  
165  
166  
167  
168  
169  
170  
171  
172  
173  
174  
175  
176  
177  
178  
179  
180  
181  
182  
183  
184  
185  
186  
187  
188  
189  
190  
191  
192  
193  
194  
195  
196  
197  
198  
199  
200  
201  
202  
203  
204  
205  
206  
207  
208  
209  
210  
211  
212  
213  
214  
215  
216  
217  
218  
219  
220  
221  
222  
223  
224  
225  
226  
227  
228  
229  
230  
231  
232  
233  
234  
235  
236  
237  
238  
239  
240  
241  
242  
243  
244  
245  
246  
247  
248  
249  
250  
251  
252  
253  
254  
255  
256  
257  
258  
259  
260  
261  
262  
263  
264  
265  
266  
267  
268  
269  
270  
271  
272  
273  
274  
275  
276  
277  
278  
279  
280  
281  
282  
283  
284  
285  
286  
287  
288  
289  
290  
291  
292  
293  
294  
295  
296  
297  
298  
299  
300  
301  
302  
303  
304  
305  
306  
307  
308  
309  
310  
311  
312  
313  
314  
315  
316  
317  
318  
319  
320  
321  
322  
323  
324  
325  
326  
327  
328  
329  
330  
331  
332  
333  
334  
335  
336  
337  
338  
339  
340  
341  
342  
343  
344  
345  
346  
347  
348  
349  
350  
351  
352  
353  
354  
355  
356  
357  
358  
359  
360  
361  
362  
363  
364  
365  
366  
367  
368  
369  
370  
371  
372  
373  
374  
375  
376  
377  
378  
379  
380  
381  
382  
383  
384  
385  
386  
387  
388  
389  
390  
391  
392  
393  
394  
395  
396  
397  
398  
399  
400  
401  
402  
403  
404  
405  
406  
407  
408  
409  
410  
411  
412  
413  
414  
415  
416  
417  
418  
419  
420  
421  
422  
423  
424  
425  
426  
427  
428  
429  
430  
431  
432  
433  
434  
435  
436  
437  
438  
439  
440  
441  
442  
443  
444  
445  
446  
447  
448  
449  
450  
451  
452  
453  
454  
455  
456  
457  
458  
459  
460  
461  
462  
463  
464  
465  
466  
467  
468  
469  
470  
471  
472  
473  
474  
475  
476  
477  
478  
479  
480  
481  
482  
483  
484  
485  
486  
487  
488  
489  
490  
491  
492  
493  
494  
495  
496  
497  
498  
499  
500  
501  
502  
503  
504  
505  
506  
507  
508  
509  
510  
511  
512  
513  
514  
515  
516  
517  
518  
519  
520  
521  
522  
523  
524  
525  
526  
527  
528  
529  
530  
531  
532  
533  
534  
535  
536  
537  
538  
539  
540  
541  
542  
543  
544  
545  
546  
547  
548  
549  
550  
551  
552  
553  
554  
555  
556  
557  
558  
559  
550  
551  
552  
553  
554  
555  
556  
557  
558  
559  
560  
561  
562  
563  
564  
565  
566  
567  
568  
569  
570  
571  
572  
573  
574  
575  
576  
577  
578  
579  
580  
581  
582  
583  
584  
585  
586  
587  
588  
589  
580  
581  
582  
583  
584  
585  
586  
587  
588  
589  
590  
591  
592  
593  
594  
595  
596  
597  
598  
599  
590  
591  
592  
593  
594  
595  
596  
597  
598  
599  
600  
601  
602  
603  
604  
605  
606  
607  
608  
609  
610  
611  
612  
613  
614  
615  
616  
617  
618  
619  
620  
621  
622  
623  
624  
625  
626  
627  
628  
629  
630  
631  
632  
633  
634  
635  
636  
637  
638  
639  
640  
641  
642  
643  
644  
645  
646  
647  
648  
649  
650  
651  
652  
653  
654  
655  
656  
657  
658  
659  
660  
661  
662  
663  
664  
665  
666  
667  
668  
669  
670  
671  
672  
673  
674  
675  
676  
677  
678  
679  
680  
681  
682  
683  
684  
685  
686  
687  
688  
689  
690  
691  
692  
693  
694  
695  
696  
697  
698  
699  
690  
691  
692  
693  
694  
695  
696  
697  
698  
699  
700  
701  
702  
703  
704  
705  
706  
707  
708  
709  
710  
711  
712  
713  
714  
715  
716  
717  
718  
719  
720  
721  
722  
723  
724  
725  
726  
727  
728  
729  
720  
721  
722  
723  
724  
725  
726  
727  
728  
729  
730  
731  
732  
733  
734  
735  
736  
737  
738  
739  
740  
741  
742  
743  
744  
745  
746  
747  
748  
749  
750  
751  
752  
753  
754  
755  
756  
757  
758  
759  
760  
761  
762  
763  
764  
765  
766  
767  
768  
769  
770  
771  
772  
773  
774  
775  
776  
777  
778  
779  
780  
781  
782  
783  
784  
785  
786  
787  
788  
789  
790  
791  
792  
793  
794  
795  
796  
797  
798  
799  
790  
791  
792  
793  
794  
795  
796  
797  
798  
799  
800  
801  
802  
803  
804  
805  
806  
807  
808  
809  
810  
811  
812  
813  
814  
815  
816  
817  
818  
819  
820  
821  
822  
823  
824  
825  
826  
827  
828  
829  
820  
821  
822  
823  
824  
825  
826  
827  
828  
829  
830  
831  
832  
833  
834  
835  
836  
837  
838  
839  
840  
841  
842  
843  
844  
845  
846  
847  
848  
849  
850  
851  
852  
853  
854  
855  
856  
857  
858  
859  
860  
861  
862  
863  
864  
865  
866  
867  
868  
869  
870  
871  
872  
873  
874  
875  
876  
877  
878  
879  
880  
881  
882  
883  
884  
885  
886  
887  
888  
889  
880  
881  
882  
883  
884  
885  
886  
887  
888  
889  
890  
891  
892  
893  
894  
895  
896  
897  
898  
899  
890  
891  
892  
893  
894  
895  
896  
897  
898  
899  
900  
901  
902  
903  
904  
905  
906  
907  
908  
909  
910  
911  
912  
913  
914  
915  
916  
917  
918  
919  
920  
921  
922  
923  
924  
925  
926  
927  
928  
929  
920  
921  
922  
923  
924  
925  
926  
927  
928  
929  
930  
931  
932  
933  
934  
935  
936  
937  
938  
939  
940  
941  
942  
943  
944  
945  
946  
947  
948  
949  
950  
951  
952  
953  
954  
955  
956  
957  
958  
959  
960  
961  
962  
963  
964  
965  
966  
967  
968  
969  
970  
971  
972  
973  
974  
975  
976  
977  
978  
979  
980  
981  
982  
983  
984  
985  
986  
987  
988  
989  
980  
981  
982  
983  
984  
985  
986  
987  
988  
989  
990  
991  
992  
993  
994  
995  
996  
997  
998  
999  
990  
991  
992  
993  
994  
995  
996  
997  
998  
999  
1000

III.

ia=  
li=  
I.

TRI

s. ri

I.

Scriptura Seculi VI.

1. INNOCENTIUS dicentio  
Innocentius Decentio  
epo ezbino vii instituta  
Epo Eugubino . si instituta  
ecclesiastica ut sunt ab  
Ecclesiastica ut sunt a be-  
atis apostolorum tradita &c.  
tis Apostolorum tradita , &c.

Scriptura Seculi VII.

2. MEMINIT SCITAS  
Meminit Sanctitas  
VESTRA euangelium  
Vestra , Evangelium  
SECUNDUM IOHANNEM ex ordine  
Secundum Iohannem ex ordi-  
ne Lectionum &c.  
ne Lectionum &c.

100

101

102

103

104

105

106

107

108

109

110

111

112

113

114

115

116

117

118

119

b. XII

III.

ia=  
li=  
I.

101  
R

S'ri

11.

Scriptura Seculi VIII.

1. Cupieram dilecte mi aestate præte  
Cupieram, dilecte mi, aestate præte-  
rita uidere faciem tuam quando illi in  
rita videre faciem tuam, quando illis in  
partibus fui sed præpeditus laetitudi-  
nes non ipedum ad te ire non potui  
ne sonipedum ad te ire non potui.

Scriptura Seculi IX.

2. & m de dom nur karolus solus reg-  
Et inde Dominus Carolus solus reg-  
num suscepit & dō protegente guber-  
num suscepit, et Deo protegente guber-  
nat usq; in praesentem annum feliciter  
nat usq; in praesentem annum feliciter,  
qui è annus regni eius XLII  
qui est annus regni ejus XLII.

Im pernautem V IIII  
Imperii autem VIII.



III

ia=  
li=  
A.

101

5'ri

&

11.

et.

Scriptura Seculi IX circa medium.

1. CUM SEDEAT KAROLUS MAGNO CORO

NATU SHONORE

Cum redeat Carolus magno coro-  
natus honore

EST IOSIAE SIMILIS PARQUE THEO-

DOSIO

Est Iosia similis, parque Theo-  
dosio.

Scriptura ejusdem Seculi.

2. Hunc abbas humiliavit fabri-

care libellum

Hunc abbas humilio iussit fabri-  
care libellum

ANGILBERTUR ENI VILIS EXIGUUS.

Angilbertus enim vilos et exiguis.

Scriptura Seculi X.

3. CUR RABIES VANDALICE PERSECUTIONIS ET INFANIA

CIRCUMQUAC. GALLORUM POPULOS DIRISSIME PREMERET.

NA' EAD'E GEN'S AB ULTIMIS FINIB. GALLIAE EGRESA &c.

Cur' rabies Vandalice persecutionis et infanias

circumquac. gallorum populos dirissime premeret.

Na' ead'e gen's ab ultimis finib. galliae egresia &c.

10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50  
51  
52  
53  
54  
55  
56  
57  
58  
59  
60  
61  
62  
63  
64  
65  
66  
67  
68  
69  
70  
71  
72  
73  
74  
75  
76  
77  
78  
79  
80  
81  
82  
83  
84  
85  
86  
87  
88  
89  
90  
91  
92  
93  
94  
95  
96  
97  
98  
99  
100  
101  
102  
103  
104  
105  
106  
107  
108  
109  
110  
111  
112  
113  
114  
115  
116  
117  
118  
119  
120  
121  
122  
123  
124  
125  
126  
127  
128  
129  
130  
131  
132  
133  
134  
135  
136  
137  
138  
139  
140  
141  
142  
143  
144  
145  
146  
147  
148  
149  
150  
151  
152  
153  
154  
155  
156  
157  
158  
159  
160  
161  
162  
163  
164  
165  
166  
167  
168  
169  
170  
171  
172  
173  
174  
175  
176  
177  
178  
179  
180  
181  
182  
183  
184  
185  
186  
187  
188  
189  
190  
191  
192  
193  
194  
195  
196  
197  
198  
199  
200  
201  
202  
203  
204  
205  
206  
207  
208  
209  
210  
211  
212  
213  
214  
215  
216  
217  
218  
219  
220  
221  
222  
223  
224  
225  
226  
227  
228  
229  
230  
231  
232  
233  
234  
235  
236  
237  
238  
239  
240  
241  
242  
243  
244  
245  
246  
247  
248  
249  
250  
251  
252  
253  
254  
255  
256  
257  
258  
259  
260  
261  
262  
263  
264  
265  
266  
267  
268  
269  
270  
271  
272  
273  
274  
275  
276  
277  
278  
279  
280  
281  
282  
283  
284  
285  
286  
287  
288  
289  
290  
291  
292  
293  
294  
295  
296  
297  
298  
299  
300  
301  
302  
303  
304  
305  
306  
307  
308  
309  
310  
311  
312  
313  
314  
315  
316  
317  
318  
319  
320  
321  
322  
323  
324  
325  
326  
327  
328  
329  
330  
331  
332  
333  
334  
335  
336  
337  
338  
339  
340  
341  
342  
343  
344  
345  
346  
347  
348  
349  
350  
351  
352  
353  
354  
355  
356  
357  
358  
359  
360  
361  
362  
363  
364  
365  
366  
367  
368  
369  
370  
371  
372  
373  
374  
375  
376  
377  
378  
379  
380  
381  
382  
383  
384  
385  
386  
387  
388  
389  
390  
391  
392  
393  
394  
395  
396  
397  
398  
399  
400  
401  
402  
403  
404  
405  
406  
407  
408  
409  
410  
411  
412  
413  
414  
415  
416  
417  
418  
419  
420  
421  
422  
423  
424  
425  
426  
427  
428  
429  
430  
431  
432  
433  
434  
435  
436  
437  
438  
439  
440  
441  
442  
443  
444  
445  
446  
447  
448  
449  
450  
451  
452  
453  
454  
455  
456  
457  
458  
459  
460  
461  
462  
463  
464  
465  
466  
467  
468  
469  
470  
471  
472  
473  
474  
475  
476  
477  
478  
479  
480  
481  
482  
483  
484  
485  
486  
487  
488  
489  
490  
491  
492  
493  
494  
495  
496  
497  
498  
499  
500  
501  
502  
503  
504  
505  
506  
507  
508  
509  
510  
511  
512  
513  
514  
515  
516  
517  
518  
519  
520  
521  
522  
523  
524  
525  
526  
527  
528  
529  
530  
531  
532  
533  
534  
535  
536  
537  
538  
539  
540  
541  
542  
543  
544  
545  
546  
547  
548  
549  
550  
551  
552  
553  
554  
555  
556  
557  
558  
559  
559  
560  
561  
562  
563  
564  
565  
566  
567  
568  
569  
569  
570  
571  
572  
573  
574  
575  
576  
577  
578  
579  
579  
580  
581  
582  
583  
584  
585  
586  
587  
588  
589  
589  
590  
591  
592  
593  
594  
595  
596  
597  
598  
599  
599  
600  
601  
602  
603  
604  
605  
606  
607  
608  
609  
609  
610  
611  
612  
613  
614  
615  
616  
617  
618  
619  
619  
620  
621  
622  
623  
624  
625  
626  
627  
628  
629  
629  
630  
631  
632  
633  
634  
635  
636  
637  
638  
639  
639  
640  
641  
642  
643  
644  
645  
646  
647  
648  
649  
649  
650  
651  
652  
653  
654  
655  
656  
657  
658  
659  
659  
660  
661  
662  
663  
664  
665  
666  
667  
668  
669  
669  
670  
671  
672  
673  
674  
675  
676  
677  
678  
679  
679  
680  
681  
682  
683  
684  
685  
686  
687  
688  
689  
689  
690  
691  
692  
693  
694  
695  
696  
697  
698  
699  
699  
700  
701  
702  
703  
704  
705  
706  
707  
708  
709  
709  
710  
711  
712  
713  
714  
715  
716  
717  
718  
719  
719  
720  
721  
722  
723  
724  
725  
726  
727  
728  
729  
729  
730  
731  
732  
733  
734  
735  
736  
737  
738  
739  
739  
740  
741  
742  
743  
744  
745  
746  
747  
748  
749  
749  
750  
751  
752  
753  
754  
755  
756  
757  
758  
759  
759  
760  
761  
762  
763  
764  
765  
766  
767  
768  
769  
769  
770  
771  
772  
773  
774  
775  
776  
777  
778  
779  
779  
780  
781  
782  
783  
784  
785  
786  
787  
788  
789  
789  
790  
791  
792  
793  
794  
795  
796  
797  
798  
799  
799  
800  
801  
802  
803  
804  
805  
806  
807  
808  
809  
809  
810  
811  
812  
813  
814  
815  
816  
817  
818  
819  
819  
820  
821  
822  
823  
824  
825  
826  
827  
828  
829  
829  
830  
831  
832  
833  
834  
835  
836  
837  
838  
839  
839  
840  
841  
842  
843  
844  
845  
846  
847  
848  
849  
849  
850  
851  
852  
853  
854  
855  
856  
857  
858  
859  
859  
860  
861  
862  
863  
864  
865  
866  
867  
868  
869  
869  
870  
871  
872  
873  
874  
875  
876  
877  
878  
879  
879  
880  
881  
882  
883  
884  
885  
886  
887  
888  
889  
889  
890  
891  
892  
893  
894  
895  
896  
897  
898  
899  
899  
900  
901  
902  
903  
904  
905  
906  
907  
908  
909  
909  
910  
911  
912  
913  
914  
915  
916  
917  
918  
919  
919  
920  
921  
922  
923  
924  
925  
926  
927  
928  
929  
929  
930  
931  
932  
933  
934  
935  
936  
937  
938  
939  
939  
940  
941  
942  
943  
944  
945  
946  
947  
948  
949  
949  
950  
951  
952  
953  
954  
955  
956  
957  
958  
959  
959  
960  
961  
962  
963  
964  
965  
966  
967  
968  
969  
969  
970  
971  
972  
973  
974  
975  
976  
977  
978  
979  
979  
980  
981  
982  
983  
984  
985  
986  
987  
988  
989  
989  
990  
991  
992  
993  
994  
995  
996  
997  
998  
999  
999  
1000

III.

ia=  
li=  
A.

TOI

ri

II.

1. Seguitur feceruntq; ita moysē & āron sic  
precepit dñs. Et eleuans uirgam percussit aquā  
fluminis coram pharaonē
- Seguitur: Feceruntq; ita Moses et Aaron sicut  
praeceperat Dñs. Et elevans virgam percussit aqua  
fluminis coram Pharaone.

## Scriptura Seculi XII.

2. PAVLUS apls. Qui cum  
Paulus prius vocaretur non ob aliud quan-  
tum in uidetur hoc nomen elegit nisi ut se  
ostenderet paruum tanquam minime aptoz.

PAVLUS Apostolus. Qui cum  
Paulus prius vocaretur, non ob aliud, quan-  
tum mihi uidetur, hoc nomen elegit, nisi ut se  
ostenderet parvum tanquam minime aptoz.

## Scriptura Seculi XIII.

3. **N**ōvem unū si p̄fentes p̄st r̄ficq;. quendā dō deuotū  
clericū nōn m̄cholau. apd h̄c idō de hoc sedo migr-  
asse. Cuiusq; res suaq; īā dicto ecclie attribuēdet' domino  
Carinouiro reliq;issimo. ut eas viciniis ecclīs p̄ obitu  
suum ut sapiens dispensator prudenter erogaret.

Noxerint universi prelantes pariter et futuri, quendā dō de oto  
clericū, nomine Nicolau, apud S. Victore de hoc seculo migr-  
asse, qui conseruit res suas iā dicto ecclie Abbati, videntib; dñs  
Carino viro religiosissimo, ut eas viciniis ecclīs post obitum  
suum ut sapiens dispensator prudenter erogaret.

THA AS. 113. 113. 113.

113. 113. 113. 113. 113.

113. 113. 113. 113. 113.

113. 113. 113. 113. 113.

113. 113. 113. 113. 113.

113. 113. 113. 113. 113.

113. 113. 113. 113. 113.

113. 113. 113. 113. 113.

113. 113. 113. 113. 113.

113. 113. 113. 113. 113.

113. 113. 113. 113. 113.

113. 113. 113. 113. 113.

b. XII

|||||

ia=  
li=  
A.

101

5' ri

11

z.

## Scriptura Seculi XIV.

1. Ego igitur grācias ago dēo Qui dedit mihi  
*Ego igitur gratias ago Deo, qui dedit mihi*  
 grām sc̄ribendi secundū modulūm ingēni mei  
*gratiā scribendi secundū modulūm ingēni mei*  
 sup̄ omnes in biblia contentos p̄mo sup̄ illos  
*super omnes in biblia contentos: primo super illos*  
 qui sunt de Canone - incipiēdo a Genesi &c.  
*qui sunt de Canone, incipiendo a Genesi. &c.*  
 actum parisiū anno dñi xliii. CCC. XXX.  
*Actum Parisiis anno Dni M. CCC. XXX.*  
 XII<sup>o</sup> Kalendas apphys. finito libro reddat̄  
*XII<sup>o</sup> Kalendas Aprilis. / Finito libro reddatur*  
*Gloria Christo*  
*gloria Christo.*

## Scriptura Seculi XV.

2. Hęc verba xp̄i quibz amouenur qua-  
*Hęc sunt verba Christi, quibz admonemur qua-*  
 tenus vitā ev̄ et mores m̄item̄. Si uelim  
*tenus vitam eę et mores imitemur. si velim*  
 us veraciter illuminari .  
*us veraciter illuminari .*

71  
VIRGIL

abutus abit uero excepit. ha-  
c uero uero uero. et illa excepit.

et uero excepit. et illa excepit. Quare  
excepit. et illa excepit. et illa excepit.

et illa excepit. et illa excepit. et illa excepit.

et illa excepit. et illa excepit. et illa excepit.

et illa excepit. et illa excepit. et illa excepit.

et illa excepit. et illa excepit. et illa excepit.

et illa excepit. et illa excepit. et illa excepit.

et illa excepit. et illa excepit. et illa excepit.

et illa excepit. et illa excepit. et illa excepit.

et illa excepit. et illa excepit. et illa excepit.

et illa excepit. et illa excepit. et illa excepit.

et illa excepit.

I.

b. XII

g.  
d.  
J.

|||||

w.  
n

ia=  
li=  
t.

q.  
R

B.  
U

101  
101

e  
f.  
F

ri

O.  
o

L.x.

Scriptura literarum maiuscularum  
latinarum medii ævi.

1. H. A. A. B. C. C. L. D.  
 a a a b c c d  
 S. E. E. F. A. G. C. H.  
 d e f f g g h  
 b i T. K. L. J. L. M.  
 h i i k k l l m  
 Q. R. H. O. C. P. P. Q.  
 m n o o p p q  
 Q. R. B. S. S. T. B. V.  
 q r s s t t u  
 Y. U. W. Y. X. X. Y. B. Z.  
 u v w x x y z z

Alphabetum literarum latinarum minorum.

2. a. a. b. b. c. c. d. d. e. f. f. g. g. h.  
 a a b b c c d d e f f g g h  
 h i k k l l m m n n o p p q  
 g. r. p. f. g. f. t. u. r. w. d. x.  
 q r r s s t t u u w x x

स्त्री विद्या

हृदय

मातृज्ञा

श्री विद्या

b. XII

L

U.

S.

d

H.

W.

n

V.

R.

G.

U

|||||

ia=

li=

A.

101

ri


F

11.

O

X. x.

Alphabetum Germanicum, quod etiam ad  
latina scriptio adhibuerunt Seculo XIII.

1.   
 A. a. a. B. b. b. C. c. c. D. d. d.  
 E. E. e. e. F. f. G. G. g. g. H. H.  
 I. i. i. K. k. L. l. L. L. L. m. m. N. n.  
 O. o. o. P. p. p. Q. Q. q. q. R.  
 S. r. r. S. s. S. s. T. t. t. U. U.  
 V. V. V. X. x. X. x. Z. Z.

## Alphabetum Seculi X.

2.   
 A. A. a. a. b. C. c. c. D. d. d. E. e. F.  
 f. g. H. h. I. i. K. l. M. m. N. n. O.  
 O. o. P. Q. Q. R. r. r. S. T. t. t. U. u. X. x.

1. The first book contains  
the rule of the emperors  
and the laws of the people.  
2. The second book contains  
the history of the emperors  
and the laws of the people.  
3. The third book contains  
the history of the emperors  
and the laws of the people.  
4. The fourth book contains  
the history of the emperors  
and the laws of the people.  
5. The fifth book contains  
the history of the emperors  
and the laws of the people.

X. The fifth book contains


1. The first book contains  
the history of the emperors  
and the laws of the people.  
2. The second book contains  
the history of the emperors  
and the laws of the people.  
3. The third book contains  
the history of the emperors  
and the laws of the people.  
4. The fourth book contains  
the history of the emperors  
and the laws of the people.  
5. The fifth book contains  
the history of the emperors  
and the laws of the people.




. u. w.

Romia-  
t in di-  
olo M.

L.



lue Tri




ratia &c.



XVI. Alphabetum literarum Romana-  
narum, quæ usui fuerunt in di-  
plomatū initijis a Carolo M.  
per plura secula.

x. y. z.



*In nomine sancte et individue Tri*



WILHELMUS DE  
SCHWEITZER

... auctoritate et amicitia  
... et amicitia et amicitia

WILHELMUS DE  
SCHWEITZER

WILHELMUS DE  
SCHWEITZER

lll

vn

llon

man-

lcul

an-

lem

iam

SS

tri-

Diploma Ca-rolinum.

Ego karolus gratia dei rex Francorum  
Carolus Gratia Dei Rex Francorum

Ego karolus rex Francorum et Langobardorum ac patricius Romanorum

Mim Nō dūm sit . . . Inter se commutati  
orū, Notum sit } Inter se commutati v-  
gini nostris oraculis Confidemur regiam  
erint, nostris oraculis Confirmamus, regiam  
Confidemus & Regimus  
consuetudine ex erimus

S R S E  
Signum K — S Caroli glori-  
osissimi Regis.

propositi et spissis  
et solidis et levibus et levissimis


luminis et rursum et levissimis

18.

[ειπον]


Αἰσαρί

## Monogramata.



A notat literam A. O literam O. V literam V.


Hluodowici Regis. Hlotharü R. Odonis Regis.



Ottonis I. Imp.

Hainrici VI. Imp.

Conradi R.





Benedicti

Papa.







Bene valete.





U. O. V. O.

U. O. V. O.



al

l

c

l

l

le  
re

T


In nomine sancte et Divini duci Trinitatis. Ludovicus divina favente gratia regis liberalitatis  
 munimere locis Deo Dicatis quiddam conferimus beneficium et necessitates Ecclesiasticas ad peti-  
 tiones seruorum dei nostre relevamus iuvamine manus propria noce subterem  
 firmavimus et anubinri impressione ussignari iussimus & dilecto filio nostro Karolo eum firmare praecepimus  
 firmavimus et anuli nostri impressione assignari iussimus et dilecto filio nostro Karolo eum firmare praecepimus

Simum

POT  
LI

Domini Ludowici Serenissimi Regis

Signum



Karoli

Heberhardus Notarius ad vicem Grimaldi recognosui  
 et sub data v. Kal. aug.  
 anno xxiiii regni domini Ludowici Serenissimi Regis in orientali Francia regnante  
 regni Domini Ludowici Serenissimi Regis in orientali Francia regnante

Uatum regnensburc ciuitate regia In diu nomine feliciter AMEN  
 actum Regensburgo \* civitate Regia In Domini nomine feliciter Amen \* id est, Regensburg.

Locus  
SigilliIndictione xiiii  
Indictione

W

Et quoniam dicitur ad eum

Ecce enim regnus eius

Est enim regnum dei


} Li

nt  
nt  
ſu  
ſi  
ſe  
ſe


Q




In nomine




Sanctae




et individua




Trinitatis




Heinricus




Divina



Farente



Clementia








Rex


Omnibus christi nostris fidelibus tam futuri quam presentibus notum esse volumus. quare  
Omnibus christi nostris fidelibus tam futuri quam presentibus notum esse volumus. qualiter

nos per interventum ac petitionem fidelium nostrorum. si gestri videlicet magistrorum archie-  
nos per interventum ac petitionem fidelium nostrorum. si gestri videlicet magistrorum Archie-


pi. et SIGEHEARDI cancellarii. cuiusdam LIUTWINO servienti fidelis nostri KATBORONIS. &c.  
piscopi et Sigehardi cancellarii cuiusdam servienti fidelis nostri KATBORONIS etc.



W nperatoris.




Trinitatis



Rex

bu notum q  
ibus notum esse

se trini uidel  
gefriди videl  
ruienti fidelis  
rvienti fidelis



uarti

N  
Y

J

R

A  
a

I  
C  
G  
3  
3



**NICOLAI COPUS SERVUS SERVORUM DOMINI ELECTI**


di & tis fratribus ac filiis nostris in venerabili monasterio sancti Christi  
*dilectis fratibus ac filiis nostris in venerabili monasterio Sancti Christi*  
 martyris Dyonysii subsequula sancte Leonee di & reliquo sec & nueratione degnibus  
*martyris Dyonysii subsequula Sancti Benediti reliquias Conversatio ne degentibus*  
 scripsit per manum Sophroniu notarium regionacum & Uscum  
*scripsit per manum Sophronium notarium regionarum et scripsit*  
 sed ut vobis dolescat, In mensa apostoli undecima  
*Sancta Romana Ecclesia. In mensa apostoli Indicti undecima*

Datu*III Kal maras per manum*  
*Tiberii primicerii Sancte Ursulae apostoli cae*  
*Imp dñi nro Cluzuris Hludovici*  
*In p. Dni nro Au gusto Hludovici*  
*Cosmico Cogitatio magno*  
*co a Deo coronato magno.*



BENE  
UNLETE

M  
mico  
C  
I  
T  
in  
en  
E  
li  
ir.  
b  
er  
p  
st  
m  
no  
Ap  
u  
u  
o



*LIBER VIII.*  
DE  
**PHILOSOPHIA**  
**NATURALI**  
ET  
**MORALI.**

BIBLIOTH. DOMEST. LIB. VIII.

ЛЯЕВА  
аа  
АНДОГИИ  
ЛЯРУТАИ  
тв  
ЛЯМ



EPI TOME  
*LIBRI VIII.*  
DE  
PHILOSOPHIA NATU-  
RALI AC MORALI.

---

CAPUT I.

PHILOSOPHIÆ PRETÍUM;  
NECESSITAS ET UTILITAS.

§. I.

*Ejusdem pretium.*

I.

*M*undum in gratiam Philosophorum  
condidisse videtur Numen, dum  
illum eorum disputationibus tradidit.  
Discrimen inter Philosophos & Plebeios in  
mundi contemplatione. Philosophia Ma-

*Epitome Libri VIII.  
ter artium teste Tullio. Philosophorum  
auctoritas apud veteres.*

**§. II.**

*Necessitas.*

**II.**

*Philosophia necessaria est homini, tum  
ut homo est, tum ut membrum Reipubli-  
cæ, tum ut Christianus, quæ tria te-  
stimoniorum late probantur.*

**§. III.**

*Utilitas Philosophiae.*

**III.**

*Ostenditur hæc e testimonio Salomo-  
nis, & ex grandi dono ratiocinationis,  
quod Deus hominibus concessit. Per-  
stringitur vile pretium, in quo apud  
aliquos est Philosophia.*

*Epitome Libri VIII.*

**C A P U T II.**

**PHILOSOPHIÆ ORTUS ET  
PROGRESSIO.**

**§. I.**

**Origo.**

**IV.**

*Prima semina Philosophiae sunt in ipsa hominis natura & indole a Deo indita. Describitur œconomia facultatum, quæ humanæ menti insunt ad philosophandum.*

**V.**

*Ægyptiorum philosophia signis arcanis & hieroglyphicis plena erat. Græci veritates latentes explicarunt aperi-  
tius. Tres sectæ Philosophorum : Jo-  
nica, Italica, & Eleatica. Post has  
aliæ tres : Academica Socratis, Pla-  
tonica, Aristotelica seu Peripatetica.*

## *Epitome Libri VIII.*

### **VI.**

*Ægyptios & Græcos antecessit Mo-  
ses, qui veram Philosophiam tradidit,  
eiusque compendium in descriptione  
mundi, seu operum sex dierum exhi-  
buit.*

### **VII.**

*Post Platonem & Aristotelem Philo-  
sophia cœpit degenerare in varias alias  
sectas : Academicam, Cynicam, Sto-  
cam, Scepticam, Eclecticam seu Ele-  
ctivam.*

### **VIII.**

*Romanorum præstantissimi, ut Læ-  
lius, Scipio, Julius Cæsar, Cicero Athe-  
nas ad Philosophiam addiscendam profe-  
cti sunt. Floruit aliquamdiu Romæ,  
sed post Augustum Cæsarem nil fere nisi  
nomen Philosophorum remansit.*

## *Epitome Libri VIII.*

### §. II.

## *Philosophiae progressio.*

### IX.

*Christi in terras adventu & doctrina multæ veteris Philosophiae superstitiones & errores detecti & emendati fuerunt. Patres primitivæ Ecclesiæ semper philosophico studio impenderunt tum ad gentilium Sophorum, tum ad hæreticorum fraudes & falsas doctrinas debellandas.*

### X.

*Arabes in Hispania seculo XIII. Aristotelis Philosophiam instaurarunt; sed nimium subtilitatibus tribuerunt. Novæ sectæ Philosophicæ: Thomistica, Scotistica, Nominalis: Item Chymica, Cabalistica, & Mechanica.*

*Epitome Libri VIII.*

XI.

*Novam recentemque Philosophiam  
circa medium seculi XVI. considerunt  
Verulamius & Boyleus in Anglia, &  
Galilaeus in Hetruria: hos secuti sunt  
alii in Italia & Belgio: in Gallia Gas-  
sendus & Cartesius. Descriptio Hypo-  
thesis Cartesianæ: post hos Isaacius  
Nevvion.*

XII.

*Seculo XVII. & XVIII. aucta est  
& exculta Philosophia plurimis, pul-  
cherrimisque experimentis. Methodum  
Mathematicam seu Geometricam indu-  
cere tentavit Wolfius.*

*Epitome Libri VIII.*

*CAPUT III.*

*OECONOMIA PHILOSOPHIÆ.*

*§. I.*

*Partitio vetus.*

*XIII.*

*D*ivisa est ab antiquis in Naturalem,  
Moralem, & Dialecticam. Ex-  
plicatur cuiuslibet harum proprium of-  
ficium. Recentiores divisorunt in Lo-  
gicam, Physicam, Metaphysicam, &  
Ethicam. Ratio iusijus divisionis.

*§. II.*

*Partitio nova.*

*XIV.*

*H*æc re ipsa convenit cum veteri,  
ac solum nomine tenus differt ab illa,  
dum novis & speciosis nominibus res  
antiquas complectitur.

*Epitome Libri VIII.*

**CAPUT IV.**

**LOGICA.**

§. I.

*Logica docens.*

XV.

*L*ogica est Organum seu instrumentum ad omnes alias scientias. De ea sensus D. Augustini, & Ciceronis. Dividitur in Logicam Majorem & Minorem. Tres mentis operationes explicantur.

§. II.

*Logica utens.*

XVI.

Ostenditur magna vis Logicæ ad hominis intellectum in suis operationibus vel emendandum, vel perficiendum.  
Varie-

## *Epitome Libri VIII.*

*Varietas ingeniorum in studio Philo-  
phico. Commendatur methodus syllo-  
gistica.*

## *CAPUT V.*

### *PHYSICA.*

#### *§. I.*

#### *Ejus prolegomena.*

#### *XVII.*

*Commendatur studium Physices amae-  
nissimum, ac dividitur in univer-  
salem & particularem. Senecæ de Phy-  
sica iudicium.*

#### *XVIII.*

*Partitio mundi in subterraneum,  
sublunarem, & cœlestem. Describitur  
mundus subterraneus secundum systema  
Kircheri: ejus pyrophylacia, & atmo-  
phylacia.*

#### *XIX.*

*Epitome Libri VIII.*

**XIX.**

*Describitur mundus sublunar: ejus centrum, & structura: figura rotunda, & stabilitas: Maria & flumina: evaporationes & exhalationes: atmosphæra, & regiones aeris.*

**XX.**

*Describitur mundus cœlestis: stellæ fixæ, errantes: numerus stellarum secundum diversos auctores: constellationes seu asterismi: sol cum maculis, & luna cum phasibus: motus siderum: Saturnus, Jupiter, Mars, Venus, & Mercurius cum suis phænomenis.*

**§. II.**

*Physica universalis.*

**XXI.**

*Agitur de principiis corporis naturalis, atque de ejus affectionibus: divisibilitate*

## *Epitome Libri VIII.*

bilitate, porositate, rarefactione & condensatione, motu, gravitate, elasticitate, æquilibrio solidorum & fluidorum, electricitate. Errores veterum circa principia corporis naturalis, & variae recentiorum opiniones. Epicrysis de accidentibus.

## §. III.

### *Physica particularis.*

## XXII.

*Genesis & sistema mundi. Opinio recentiorum de figura mundi sphæroidica. Hypotheses Ptolomæi, Copernici, & Tychonis. Fabula de Lunicolis. Motus siderum & influxus.*

## XXIII.

### *Elementum aeris.*

*Hujus officium est, ut sit emporium inter terram & cælum: ejus dotes gravitas*

*Epitome Libri VIII.*

vitas & elasticitas. Meteora aeris: Iris, parhelium, paraselene, halo, aura Borealis &c.

**XXIV.**

*Elementum ignis.*

Natales ignis: ejus extinctio: tres classes ignium. Meteora, ubi de fulmine: Dracones volantes, capræ saltantes, stellæ cadentes &c.

**XXV.**

*Elementum aquæ.*

Ejus natura, color, & varia experimeta physica. Gravitas aquarum & liquorum. Fluminum origo & cyclofis aquarum. Aëstus marinus, diversæque circa illum opiniones Galilæi, Cartesii, Neuvtoni, Kircheri, de Chales.

**XXVI.**

## *Epitome Libri VIII.*

### **XXVI.**

#### *Elementum terræ.*

*Ejus natura : tres regiones : thesan-  
ri triplicis generis : mineralia, lapides,  
metalla. Magnetis indoles, & virtutes.  
Terræ meteora, venti & terræ motus;  
horum origo & vis.*

### **XXVII.**

#### *Plantæ.*

*Earum anatomia & partes. Plan-  
tarum divisio : diversa illarum patria  
& vires : origo, incrementum, & pro-  
pagatio. Pretiosæ excretiones planta-  
rum, ut sunt resina, myrrha, thus,  
balsamum, mel, saccharum &c.*

### **XXVIII.**

*Epitome Libri VIII.*

**XXVIII.**

*Animalia.*

*Horum ortus & genesis. Divisio in perfecta & imperfecta, in ovipara & vivipera. Animalium vita, ubi ostenditur, non esse mera automata: diversae species animalium; volatilium, terrestrium & aquatilium: Insectorum diversissima genera: omnium horum indoles.*

**XXIX.**

*Hom.*

*Oeconomia corporis humani, & divisio in tres regiones, in animalem, vitalem, & naturalem. Ad primam pertinent: cerebrum, oculus, auris, lingua, nares. Ad secundam: cor, pulmones vene, arteriae. Ad tertiam: hepar, ventriculus, lien, renes, intestina. Agitur de partibus exterioribus corporis*

## *Epitome Libri VIII.*

*corporis humani simularibus & dissimilariibus : de sanguinis circulatione : de respirationis historia. Item de quinque sensibus exterioribus visus, auditus, gustus, tactus, & odoratus : rursus de tribus sensibus interioribus : de sensu communi, phantasia, & memoria, quæ omnia pluribus explicantur.*

## **C A P U T VI.**

### **METAPHYSICA.**

#### **§. I.**

*Entis natura, & proprietates.*

#### **XXX.**

*Metaphysica Entis cognitionem & doctrinam complectitur, ejusque proprietates explicat, quæ sunt : ve-*

BIBLIOTH. DOMEST. LIB. VIII. \*\* rum,

## *Epitome Libri VIII.*

*rum, bonum, unum. Item relatio,  
oppositio, & ordo, ad quam ultimam  
temporis & loci ratio refertur. Quin-  
que Universalia Porphyrii. Quatuor  
causarum genera.*

### §. II.

#### *Anima rationalis.*

### XXXI.

*Quatuor animæ hujus dotes: spi-  
ritualitas, libertas, indivisibilitas ac im-  
mortalitas demonstrantur. Animæ ra-  
tionalis origo, & viriæ de ea sententiæ.  
Commercium inter mentem humanam  
& corpus. Præcipuæ facultates animæ,  
scilicet intellectus & voluntas.*

### §. III.

## *Epitome Libri VIII.*

### §. III.

*Spiritus, eorumque dotes.*

### XXXII.

*Angeli a veteribus nuncupati sunt genii, & intelligentiae. Ostenditur dari Angelos seu meros Spiritus. Novem ordines, & officia Angelorum: eorum loquela, & motus.*

### §. IV.

*Deus Auctor naturæ.*

### XXXIII.

*Demonstratur existentia Dei: attributa divina, unitas & spiritualitas: omnipotentia & omniscientia: infinitas & aeternitas: infinitas, bonitas,*

*Epitome Libri VIII.*

*justitia & misericordia, ac providentia &c. hæc omnia ex Dei essentia deducuntur.*

**CAPUT VII.**

**ETHICA SEU PHILOSOPHIA  
MORALIS.**

**§. I.**

*Ejus origo & Partitio.*

**XXXIV.**

*D*iscrimen inter Dialecticam & Ethicam. Socrates primus excoluit Ethicam: ejus elogium apud Ciceronem. Socratem secutus est Plato. Hic posuit pro fundamento Ethicæ immortalitatem animæ, quam doctrinam accepit a Socrate, hic a Pythagora iste ab Ægypto.

## *Epitome Libri VIII.*

*Ægyptiis, hi ab Abrahamo. Doctrinam moralem corruperunt postea Stoici & Epicurei. Variæ veterum Philosophorum sententiæ circa summum bonum. Aristoteles Philosophiam moralē in ordinem redegit, & in Monasticam, Oeconomicam, & Politicam divisit.*

## **XXXV.**

*Apud Paganos Ethica multis erroribus & superstitionibus involuta fuit, sed expurgata per doctrinam Christi, vera Ethica & sincera inter Christianos florere cœpit, stupentibus sophis. Munus Magistri, qui Philosophiam moralem profitetur. In Anglia, Gallia, & Germania modo ab aliquibus suscitatur Philosophia moralis Pagana.*

*Epitome Libri VIII.*

§. II.

*Ethica seu Monastica.*

XXXVI.

*De bono seu fine ultimo plurimum  
disputarunt Pagani, sed omnes erra-  
runt. Ostenditur verum & summum  
bonum: ac verum & summum ma-  
lum. Quatuor virtutes Cardinales,  
quas considerat Monastica, nimirum  
Prudentia, Justitia, Temperantia,  
Fortitudo, cum oppositis vitiis.*

XXXVII.

*Agitur de animi affectionibus seu  
passionibus. Harum undecim recen-  
set D. Thomas. Earum dominium,  
quod docuerunt Gentiles Philosophi, sed  
non*

## *Epitome Libri VIII.*

*non observarunt. Agitur de voluntario, & libero, ac monstratur prima & proxima regula humanarum actionum.*

### §. III.

## *Oeconomica.*

### XXXVIII.

*Expenduntur mutua officia inter conjuges, inter servos & heros. Explicantur singula, præcipue ex doctrina D. Pauli.*

### §. IV.

## *Politica.*

### XXXIX.

*De communitatibus hominum & Rebus publicis, earumque potestate. De*

## *Epitome Libri VIII.*

*triplici forma regiminis, Monarchica,  
Aristocratica, & Democratica. In  
omni regimine spectari debet tranquilli-  
tas, securitas, & ordo: ostenditur, in  
quibus ista consistant.*

## *CAPUT VIII.*

### *CRITICE PHILOSOPHICA.*

#### *§. I.*

#### *Temperies Philosophica.*

#### *XL.*

*Geminus error in Philosophia vitan-  
dus, scilicet eorum, qui nimium  
tribuunt auctoritati veterum, & illo-  
rum, qui parum vel nihil eidem indul-  
gent. Aristotelem non pauci male suis  
partibus & opinionibus servire cogunt.  
Enumerantur Philosophi, qui varios  
secta-*

## *Epitome Libri VIII.*

*sectatores habuerunt. Inde nata sunt gravissima litigia. Perperam hoc & evo contemnitur Aristoteles. Comparatio antiquæ Philosophiæ cum Neoterica. Modus & temperies inter utramque quærenda & tenenda est.*

### §. II.

*Ratio disceptandi, & Norma tradendi hanc disciplinam.*

### XLI.

*Effatum Cardinalis Cajetani : circulus & calamus me doctum fecerunt. Utilitas disputationis in Philosophia, ac necessitas illius contra osores defenditur. In Colloquio Ratisbonensi Principes, disputationi in negotio religionis præsentes, legem tulerunt, ut omnia per Syllogismos vel alias argu-*

## *Epitome Libri VIII.*

*mentationes proponerentur. Nonnulla  
vitia, quæ disputando committi solent,  
perstringuntur. Pici Mirandulani ju-  
dicum de disputationibus. Recta nor-  
ma disputandi.*

## **XLII.**

*Agitatur quæstio, an expeditat Phi-  
losophiam tradere scripto, an vero Au-  
torem certum prælegendo. Gravia  
in utramque partem argumenta addu-  
cuntur ex Possevino, & Pallavicino,  
celeberrimis Auctòribus: Moderatio  
utriusque sententiæ.*

## **XLIII.**

*Differitur de stili ratione in Philo-  
sophicis adhibenda. Fugienda barbaries  
vocum & distinctionum. Unde bar-  
bara latinitas in scholas sit invecta.  
Non*

*Epitome Libri VIII.*

*Non sunt rejiciendi termini technici,  
seu artis hujus proprii.*

**CAPUT IX.**

**METHODUS DESCENDI ET  
DOCENDI PHILOSO-  
PHIAM.**

§. I.

*Methodus Analytica & Syn-  
thetica.*

**XLIV.**

*M*ethodus Analytica & Synthetica quid sit. Comparantur cum arbore genealogica. Methodi dotes sunt perspicuitas, brevitas, & soliditas: singulæ explicantur.

§. II.

*Epitome Libri VIII.*

§. II.

*Methodus Mathematica &  
Scholaſtica.*

XLV.

*Differitur de methodo Scholaſtica, & Mathematica seu Geometrica. Hæc posterior in rebus, quæ demonstrari possunt, recte adhibetur: non item in probabilitibus, in quibus Scholaſtica est adhibenda.*

XLVI.

*Rejicitur methodus Wolffii in Philosophicis multas & graves ob causas. Ostenditur esse inutilem, immo noxiām studiosis. Judicium Crusæ Scriptoris Acatolici, & Lipsiensis Societatis de methodo Wolffii. Card. Ptolomæi sensus*

## *Epitome Libri VIII.*

*sus de methodo geometrica. Commen-  
datur methodus Scholaistica tanquam  
clara, brevis, ordinata, & solida.*

## *C A P U T X.*

### *EPICRISIS SUPER PHILOSO- PHIAM UNIVERSAM.*

#### *§. I.*

#### *Philosophia vetus.*

## *XLVII.*

*Quatuor periodi Philosophiae: prima  
sub Thalete, Pythagora, Socra-  
te, Platone, Aristotele: eorum cha-  
racteres. Diversæ Sectæ, in quas de-  
generavit Philosophia, & rixis plena  
esse cœpit.*

#### *§. II.*

*Epitome Libri VIII.*

§. II.

*Varia sors Philosophiae  
veteris.*

XLVIII.

*Secunda periodus, in qua primo do-  
ctrina Peripatetica, paullo post primis  
Christianæ religionis temporibus Plato-  
nica, post hanc rursus Aristotelica do-  
minatum obtinuit. Hæc se divisit in  
Thomisticam, Scotisticam, Nomina-  
tem, & Recentiores. Insigne elo-  
gium Scipionis Maffei, quod Philo-  
sophiæ Aristotelicæ præbet contra Janse-  
nii affectas.*

§. III.

*Philosophia Neoterica.*

XLIX.

*Tertia periodus, in qua surrexit no-  
va secta Philosophica, maxime arca-  
nis*

## *Epitome Libri VIII.*

*nis naturæ per physica experimenta de-  
tegendas intenta, in Anglia, Italia,  
Gallia, Germania. Enumerantur no-  
va hæc experimenta, & cum suis Au-  
toribus celebrantur. Producuntur no-  
va systemata Gassendi, Cartesii, Nevu-  
toni.*

### §. IV.

## *Philosophia Eclectica.*

### L.

*Quarta periodus, in qua e variis sy-  
stematis, experimentis, & doctrinis  
optima quæque selecta fuerunt: unde  
Philosophia Eclectica seu Electiva nata  
fuit. Recensentur præcipui, qui eam  
excoluerunt.*

### LL.

*Epitome Libri VIII.*

LI.

*Ignominiosæ ac noxiæ Philosophorum discordiæ. Quatuor dotes, quibus Eclectica Philosophia gaudere debet.*





*LIBER VIII.*  
DE  
*PHILOSOPHIA.*

---

*CAPUT I.*

*PHILOSOPHIÆ PRETIUM,  
NECESSITAS ET UTILITAS.*

§. I.

*Ejusdem pretium.*

I.

**N**ihil arbitror ad scientiæ hujus nobilitatem, æstimationemque commendandam convenientius dicere me posse, quam si mundum hunc universum cum omni apparatu suo, qui oculis nostris ac sensibus quotidie obversatur, a supremo Numine in Philosophiæ gratiam conditum fuisse dixerim. Quem

BIBLIOTH. DOMEST. LXVIII. A enim

2 Cap. I. Philosophiæ pretium,

enim finem Sapientissimum Architectum Deum præfixisse sibi credimus, quando ædificium adeo magnificum, lateque patens e grandi nihilo sua nixum mole struxit, tantaque rerum varietate splendore que exornavit, nisi ut essent semper, qui illud contemplarentur, nec solo aspectu, quod vulgus, atque etiam bruta faciunt, satiati in rerum creatarum naturam, causas, effectus, occultas vias, symmetriam, ordinem & arcana ratione magistra & duce indagarent, quod præcipuum Philosophiæ munus est; quamvis neque intra hos limites steterit divinæ consilium Sapientiæ, sed ulterius ex agnitione perfectionum suarum ad gloriam suam quæ inde in se tanquam summum Opificem redundat, propagandam in admirabili, quod molitum est, opere progressum fuerit. Profecto hoc ipsum est, quod per os Ecclesiastis locutus est, & cunctis palam esse voluit Altissimus, dum ait: *Mundum tradidit disputationi eorum* (a): non aspetui duntaxat, nec vanæ oblationi, aut nudæ contemplationi, sed *disputationi eorum*; quorum? certe Philosophorum, qui hanc rationis a natura ejusque auctore homini tam liberaliter concessæ particulam, hocque humani intellectus perficien-

(a) *Eccles.* 3.

ciendi negotium tanquam proprium sibi vendicant : & quidem tradidit mundum, ac si eo fine condidisset, non tam ut sibi, operis hujus neutriquam indigo (quum intra se solum satis beatus esset) quam aliis serviret, qui se totos rerum in mundo contentarum profundæ indagini consecrarent, & velut e specula tam admirabilem machinam diu noctuque contemplarentur, quod strenue faciunt Sophi. Magnum enim hac in re inter ipsos homines discrimen est invenire ; siquidem mundus visui quidem sapientum & rudium patet singulis diebus ; sed aliis eum oculis intuetur Philosophus, aliis vulgus. Hoc videt, quod non intelligit ; ille intelligit etiam, quæ non videt, ac ingenio penetrat in arcana naturæ, ad quæ oculis non patet aditus. Atque res ista pictoribus ansam præbuuisse videtur, ut passim Philosophum geminos inter globos, cœlum terramque referentes, quasi medium depingere soleant, sive que palam demonstrent, his a Deo præ aliis, horumque disputationi ac doctis curris, & laboribus domesticis traditum esse mundum, ut sapientiam inde discerent, docerentque alios. Quare non male dividavit Tullius (b), quando inquit: *Philosophia omnium mater artium, quid est aliud,*

4 Cap. I. Philosophiæ pretium,  
aliud, nisi ut Plato ait, domum Dei, &  
ego, inventum deorum? . . . eadem ab  
animo, tanquam ab oculis, caliginem di-  
spulit, ut omnia supera, infera, prima,  
ultima, media videremus. Prorsus haec  
divina mibi videtur vis, quæ tot res effi-  
ciat, & tantas. Neque solum Philoso-  
phia, sed vel Philosophi nomen summo-  
erat olim in pretio, & quam simplex est  
ac modestum primo sui aspectu, tam gran-  
de ac gloriosum videbatur præcipuis sa-  
pientiæ proceribus, ut superbissimis Re-  
gum ac Imperatorum titulis longe ante-  
ferrent. Comitabatur illud auctoritas ma-  
xima, & par nominis existimationi, tanta-  
que, ut eorum exempla populo essent  
velut norma vivendi agendique, & pu-  
blica morum eruditio: dicta vero instar  
oraculi exciperentur. Optimates illorum  
in rebus summi momenti exquirebant con-  
silia, & ex ore ipsorum quasi e tripode  
Delphico fusa adorarunt responsa: urbes  
integræ atque provinciæ horum discipli-  
næ se submiserant, & legibus gubernan-  
das præbuerant: quin Reges ipsi tanto-  
rum se discipulos fuisse magistrorum glo-  
riabantur, e qua re natum illud nobile  
commercium Philosophos inter & Reges,  
ut vel *Philosophi regnare*, vel *Reges philo-*  
*sophari passim dicerentur. Nec est, quod*  
*honore*

honorem istum sane maximum iis duntaxat Sophis, qui mores informandi, ac leges reipublicæ ordinandæ accommodatas condendi curam in se suscepérunt, ut Soloni, Socrati, Platoni, habitum esse contendant illi, qui ævo nostro Philosophiam ex antiquis primisque fontibus haustam tam indignis proscindunt modis, veluti *pedanticam* nulliusque frugis: intueantur Philippum Macedonum Regem patrem, filiumque Alexandrum M. Viros summi ingenii, simulque Reges, quorum prior Aristoteli (ei ipsi, quem adeo isti una cum Philosophia sua vilipendunt, & probris insectantur) quorum prior inquam Aristoteli regium natum suum a teneris informandum tradidit, alter Aristoteli plus quam Patri suo debere se professus est.

## §. II.

*Necessitas.*

## II.

**N**on equidem omnia, quæ pretiosa, etiam necessaria sunt, nisi dicere velimus, sine gemmis, monilibus, gazis, dapsilibus, pigmentis &c. humanæ vitæ societatem consistere non posse. At de Philosophia autem pronunciare, tantam quoque illius esse

## 6 Cap. I. Philosophiae pretium,

necessitatem, ut ea penitus carere nequeat homo, seu illum ut hominem privatum, seu ut membrum reipublicæ, sive demum ut Christi sacra professum intueamur. Quid enim? qui absque mente est, homo non est: oportet igitur mentem excolere, id quod proprium Philosophiæ munus est: mens autem duplice facultate gaudet, intellectu & voluntate; illum Philosophia, quæ in rerum contemplatione & arte factis versatur, istam ea, quæ de moribus est, excollit ac perficit. Unde Cicero Philosophiam compellare non dubitavit: *animi culturam, vivendi artem, mentis medicinam, omnium bene factorum dictorumque matrem.* Certe eum in finem homo genitus est, ut opera Dei ejusque potentiam ac pulchritudinem in rebus creatis, quamdiu in terris degit, contemplatur, quemadmodum testatur Sapiens (c) a magnitudine speciei cognoscibiliter poterit Creator videri: & Propheta (d) Videbo cœlos opera digitorum tuorum lunam & stellas, quæ tu fundasti. Hanc autem contemplationem tanquam sibi propriam Philosophia vendicat: ut nihil dicam, homines esse cives mundi; quapropter Socrates rogatus, cujas esset? scite respondit: *Mundanus sum.* Igitur oportet cognoscere ho-

mi-

(c) *Sapiens.* 13. (d) *Psalm.* 8.

mīnes, quæ sunt in mundo, quid rerum agatur in amplissima civitate sua, quod consequi non possunt absque ministerio Philosophiæ. Quodsi autem ut reipublicæ membrum consideremus hominem, certum est, omnes fere respublicas a Philosophis seu sapientibus fuisse conditas, constitutis optimis legibus & morum præceptis. Ita Hebræorum reipublicæ Auctor & Princeps fuit Moses, Ægyptiorum Trismegistus, Græcorum Orpheus, Solon Atheniensium, Lycurgus Lacedæmoniorum, Romanorum Numa Pompilius, omnes Philosophicæ scientiæ fama & laude summe conspicui. Præter hæc jacerent in republica omnes propemodum artes atque scientiæ, si Philosophia manum non porrigeret, ac sustentaret. Absque *Dialectica*, quæ docet res latentes explicare diffinendo, rem universam in partes tribuere dividendo, obscura explanare interpretando, distinguendo ambigua, a falsis vera discernendi regulam statuere, ad rationationis stateram controversias expendere, absque inquam Dialectica nec umbram Jurisprudentiæ, Medicinæ ac Theologiæ nosceremus: sine Philosophia naturali, seu quæ naturam rerum scrutatur, & quæ de terra, cœlo, elementis, sideribus, fossilibus, plantis, homine, horumque omnium

8 Cap. I. *Philosophiaæ pretium,*  
indole, cauſis, virtute ac vi efficiendi, de  
corporum motibus, eorumque legibus,  
aliisque naturæ phænomenis late differit,  
nullæ forent artes mechanicæ, nulla tem-  
porum notitia, nullus frugum & agrorum  
cultus, interirent commercia, & pecudum  
potius quam hominum rempublicam quan-  
dam aspiceremus. Absque Philosophia  
*moralis*, seu quæ de moribus agit, & in  
Ethicam, Oeconomicam atque Politicam  
dividitur, docetque moderari affectiones  
animi, iustitiæ & amicitiæ leges præscri-  
bit, veramque virtutis ideam præbet,  
quidque in familia ad virum, uxorem, li-  
beros, servos, universamque domus gu-  
bernationem pertinet, palam facit, instruit  
que tam eos, qui reipublicæ præsunt, quam  
qui sublunt, ad finem boni publici conse-  
quendum ; absque hac inquam scientia  
migrarent vitia in virtutes, pax & tranqui-  
llitas seu publica seu privata, in summum  
adduceretur discrimen, & humanæ socie-  
tatis vinculum omnino dissolveretur. De-  
mum si hominem contemplemur Christia-  
num, Philosophiam eidem esse necessariam  
ad fidei & religionis præsidium, in dubium  
vocari nequit. Cum primis enim sine hac  
duce instar cæci palpitarit, neque per res  
creatas Creatorem ipsum invenire poterit,  
uti tamen veteres quidam sophi ope hujus  
scien-

scientiae in mediis errorum ac superstitionum tenebris invenerunt. Profecto Socrates turbam Deorum risu exceptit, propterea tanquam contemptae religionis avitæ reus ab Areopago ad cicutam damnatus: Plato ejusdem mentis fuit, inquiens: *bis vanitatibus adbærendum non esse ut veris, sed ut patriæ consuetudinibus* (e). Non minus Aristoteles, Cicero, Plinius inter deliramenta plebis numerarunt irreligiosum plurium Numinum cultum: omnium maxime Cato apud Ciceronem (f) se mirari dictans, *quomodo ministri barum vanitatum sibi obvii mutuum risum continerent:* quamvis hi omnes mortis metu correpti aliter in concionibus ad vulgus loquerentur, aliter sentirent in libris, & libero sapientum confessu. Non minor Philosophiae necessitas est ad hæreticorum sophismata & fallacias detegendas, quibus ignorantes decipere solent. Hoc certe armorum genere adversus errorum magistros usi sunt SS. Patres, tum ad eos confutandos, tum ad simplices in vera fide confirmandos, præsertim D. Augustinus in libris suis contra Manichæos, Donatistas, Pelagianos &c. quorum exemplo factum est, ut Ecclesia laudabilissimum morem in scholas introdu-

(e) *Lib. de republ.* (f) *Lib. de Divin.*

10 Cap. I. Philosophiae pretium;  
duxerit existentiam Dei, omnipotentiam,  
providentiam, animæ immortalitatem &c.  
philosophicis quoque rationibus demon-  
strandi.

§. III.

Utilitas Philosophiae.

III.

Inutilem esse hanc scientiam qui sibi per-  
suadet, vel aliis persuadere cupit, ad sa-  
pientissimum. Regem Salomonem mitten-  
dus est, ut sapere discat. Hic, quum se-  
cundum quietem Deum spectabilem ha-  
buisset (g), fieretque sibi optio petendi,  
quæcumque desideraret, non divitias re-  
gum, non gloriam & magnificentiam, non  
potentiam & triumphos postulavit, sed sa-  
pientiam. Qualem autem? ausim dicere,  
Philosophiam; quemadmodum fatetur in  
libro Sapientiae (h). *Ipse enim, scilicet*  
*Deus, dedit mibi horum, quæ sunt, sci-  
entiam veram, ut sciam dispositionem orbis*  
*terrarum, & virtutes elementorum. Ini-  
tium, consummationem, & medietatem*  
*temporum, vicissitudinum permutationes &*  
*commutationes temporum, anni cursus &*  
*stellarum dispositiones, naturas animalium*  
*& iras bestiarum, vim ventorum & cogi-*  
*ta-*

(g) 2. Paralip. I. (h) Cap. 7. & 8.

tationes hominum, differentias virgultorum & virtutes radicum, versutias sermonum & dissolutiones argumentorum, & quæcunque sunt absconsa & improvisa, didici: omnium enim artifex docuit me sapientia. Nempe Philosophiam auro, gemmis & armis longe utiliorem sibi & regno suo iudicavit. Uti enim pietas, ita & Philosophia ad omnia utilis: ad animum oblectandum, ad arcana naturæ detegenda, ad temporum rationem ineundam, ad danda sapienter responsa, ad lites dirimendas, ad regendum, ad recte vivendum. Quapropter causam malam pessime defendit Johannes Angelius Werdenhagen Acatholicus (i), dum ait: Gustavum Adolphum Suecorum Regem recte publico edicto omne Metaphysicæ studium cum Logicali vanitate ita e regno suo eliminasse, ut nulli Bibliopolarum licet tales libros impune advehere, nec subditis eos legere, statuta ingenti multa illis, qui hanc legem transgrederentur. Sed non quidquid Augustus facit, augustum est. Ita Licinius & Julianus, Imperatores tam sacro nomine indigni, severe prohibuerunt, ne Logicam aliasque disciplinas apud Christianos quisquam profiteretur, nimirum ut cum scientiis vera quoque religio exulareret.

(i) In Psycholog.

12 Cap. I. Philosophiae pretium,

ret. Opponere juvat Angelio tanquam  
versipelli Ulyssi Achillem multo fortiorem,  
& quod mirere, ejusdem se<sup>t</sup>a Docto-  
rem Jacobum Martinum, qui (k) hac in  
thrasones ejuscemodi Philippica invehi-  
tur: „ Longe igitur æquius est Augu-  
„ stini judicium, atque hodie nonnullo-  
„ rum male feriatorum, qui ex scholis  
„ Christianis Logicam, & quidem hanc  
„ Aristotelicam una cum universa Phi-  
„ losophia NB. Peripatetica proscribere  
„ discipiunt. - - - quomodo hi impieta-  
„ tis & injustitiae crimen effugient? im-  
„ pietatis quidem, dum tantum Dei do-  
„ num tantis afficere contumeliis non  
„ verentur? - - injustitiae vero, dum Ec-  
„ ciesiam ejusmodi spoliant bono, cuius  
„ ad recte & vere docendum, ac falsas  
„ erroneousque doctrinas redarguendas &  
„ evertendas usus maxime est necessa-  
„ rius, & in hac parte Philistæos imi-  
„ tantur, qui Israelitarum ex finibus om-  
„ nes, qui tractarent artes fabriles, re-  
„ legabant, ut ita armis destituti<sup>s</sup> Israe-  
„ litis nulla imposterum esset sui defen-  
„ dendii facultas. „ Verum ut magis  
pateat scientiæ hujus utilitas, nosse oportet,  
nullum ex omnibus donis quæ a  
Numinis liberalitate accepit homo, illu-  
strius

(k) In Pref. Inst. Log.

strius esse, quam facultatem ratiocinatio-  
nis. Per hanc enim tum ab animanti-  
bus reliquis distinguitur, tum ad Ange-  
lorum naturam, ipsiusque Dei similitu-  
dinem proprius accedit. Unde Seneca in-  
terrogatus, quid in homine optimum es-  
set, respondit (1) : *Ratio, qua antecedit  
animalia: Ratio perfecta proprium homi-  
nis bonum est: cætera illi cum animali-  
bus, satisque communia.* Et re ipsa Ra-  
tio boni, magni, justi, veri ideam ho-  
mini subministrat, cuius magisterio de-  
rerum omnium natura & dotibus, quas  
Philosophi *qualitates & proprietates vo-*  
*cant, recte judicat & secure pronunciat:*  
plura, quæ ipsi intellectui se coram  
sistunt, sedulo inter se comparat, extra-  
hitque feliciter ipsa prima principia &  
fundamenta, quibus totam ratiocinatio-  
nis nolem superstruit, & ab una verita-  
te cognita ad aliam investigandam pro-  
movetur: demum Ratio suppeditat re-  
ctum ordinem, quo homo in suis cogni-  
tionibus & ratiocinationibus inoffenso pe-  
de progreditur; & seriem, quæ omnem  
gratiam, omneque lumen in illas diffun-  
dit: quo intellectus res cunctas sibi oc-  
currentes longe nobilior intelligit, om-  
nemque virtutem, vim & veritatem il-  
le-

(1) Epist. 76,

14 Cap. II. Philosophiae ortus

lorum apprehendit. Nemo igitur jure inficiabitur utilitatem hanc maximam scientiæ illius, nimirum Philosophicæ, quæ tam grande bonum donumque Dei perficit, & mentem regit in omnibus intellectus humani pretiosissimis operibus: potius eam suavissimis & humanitate plenis Tullii verbis salutemus (m): *O vitæ Philosophia dux, o virtutis indagatrix, vitiorumque expultrix! quid non modo nos, sed & vita hominum sine te esse potuisset?*

---

CAPUT II.  
PHILOSOPHIÆ ORTUS ET  
PROGRESSIO.

§. I.

*Origo.*

IV.

**O**mnia prima scientiæ hujus semina si quærere velimus, facili negotio ea invenire licebit in ipsa hominis natura, indole & œconomia mentis, quæ cuncta Deus non modo bonorum sed & scien-

(m) *Tuscul.* 5.

scientiarum omnium auctor mirabili consilio ita condidit, eoque struxit ordine, ut homo ad philosophandum natus fasque videatur. Quippe nativum *sciendi desiderium* indidit Deus homini & tale, quale in nobis ipsis atque intimis pentalibus nostris sentimus universi. Cum hoc desiderio *rerum ideae ac species* innumeræ primo statim parenti fuerunt consignatae, quandoquidem earum naturam, varietatem, facultatemque posteris suis clare ac distincte novit explicare, quin & nominibus maxime propriis insignire. Adjectit Deus præterea *quinque sensus*, eorumque organa, scilicet oculum, nares, aures, palatum & linguam, membraque reliqua, quibus extra se posita experiri, & per quæ ad interiorem facultatem illam, quam *sensum communem* adpellant Philosophi, singula quæ sensibus his exploravit, quasi per canalem & totidem aquæ ductus transvehere posset. Addita est *Phantasia*, quæ patria est & officina, in qua nascuntur & excitantur imagines rerum sensu perceptarum: his adminiculantibus formatur genesis rerum, quas *intellectuales* vocant, seu quæ corporis expertes non habent corporum dimensiones, quibus simulacra perficiuntur. Phantasiam sequitur *aestimatio*, quæ *Judicium inferius* dicitur, in quo perceperio.

## 16 Cap. II. Philosophiae ortus

ptiones illæ, de quibus dixi, judicantur quales sint, velut nudæ ac simplices ci-  
tra ullam adhuc ratiocinationem. Atque ad hunc usque gradum duntaxat pertin-  
git cognoscendi vis, quæ in brutis de-  
prehenditur. At in homine altius ac  
sublimius ascendit: accedit nimirum *co-  
gitatio*, quam Græci διάνοιαν, alii supe-  
rius judicium nuncupant, ubi perceptæ  
imagines velut ad examen vocantur  
ope ratiocinationis; qua ratione fit, ut  
facta summatim inter se comparatione  
opiniones variæ oriuntur. Cogitationem  
excipit *Ratio* seu consultatio feria, qua  
plura ad deliberandum de una re mo-  
menta ex utraque parte colliguntur. De-  
mum Rationi succedit *Intellectus*, cuius  
ea vis est, ut præmissa ratiocinatione  
ultimam veluti ac decretoriam senten-  
tiam ferat, qua promulgata cogitatio men-  
tis quiescit, indubitataque scientia magno  
cum gudio potitur & fruitur. Hæc au-  
tem omnia, mirabile Dei opus! tam or-  
dinata serie, tantaque celeritate in ho-  
míne perficiuntur, ut si arcanos mentis  
suæ sinus oculis lustrare posset, attonitus  
se ipsum circumspiceret, agnosceretque,  
quam multis atque præclaris velut in-  
strumentis & animi facultatibus ad phi-  
losophandum ab Auctore naturæ libera-  
liter

liter instructus esset. Quare sagacissimus vir, Ludovicus Vives præclare ait (n):  
 „ Ad verum consequendum (quod prima  
 „ dos est Philosophiæ) sic semina menti  
 „ nostræ naturaliter indita fuisse, quem-  
 „ admodum oculo vis ad colorem aspi-  
 „ ciendum, sive aliis sensibus ad pro-  
 „ pria objecta discernenda. „ Hanc hu-  
 manæ mentis quasi anatomen præmitte-  
 re placuit, ut ab ipso auctore naturæ  
 philosophandi facultatem e dêm in sui  
 exordio ingenitam fuisse cognosceremus.  
 Verum nobilissimam hanc mentis aciem  
 non parum hebetavit prima illa labes  
 peccati, quam a protoparentibus nostris  
 contraximus, quæque universam humani  
 generis massam infecit. Nihilo minus fue-  
 re, qui licet damnum hoc ingens in  
 omnes diffusum ignorantem, naturæ quo-  
 dam ductu & lumine varias ad indagan-  
 dam veritatem vias, quamvis saepe ad-  
 modum lubricas, inierunt, certamque  
 sibi methodum præscripsere, qua tanquam  
 compendiaria via eo se perventuros esse  
 sperabant.

## V.

Ægyptii omnium primi Philosophiam  
 coluisse creduntur, quamvis eam tantis  
 in-

(n) *Lib. de veri invent.*

## 18 Cap. II. Philosophiae ortus

involverent mysteriis, ut apud populum illum, superstitionibus alias obnoxium, pro parte religionis haberetur. Naturæ arcana, in quæ penetrarunt, & observationes tacitas, per quas in singulatum æque ac communum operum atque effectuum cognitionem venerunt, nonnisi obscuris signis & hieroglyphis explicarunt sophi discipulis suis, usque paucis, ut hac ratione scientiam hanc quasi surarentur plebi, sibique solis sapientiæ famam ac venerationem publicam vendicarent. Unde factum, ut de vera eorum doctrina nonnisi vestigia quædam existent. Celebrantur tamen inter præcipuos Sotion, Hermippus, & Hermodorus, quorum meminit Laertius. Secuti sunt Græci, qui velamen, quod veritati obduxerant Aegyptii, detrahebant. Tanto autem ejus inquirendæ studio flagabant, ut teste Lactantio (o) a Thalite usque ad Platonem plures physicæ veritates fuerint detectæ, quam multis sequentibus seculis. Nullos siderum motus & vias tam solicite cœlum abscondit, quos non longa indagine deprehenderunt: nulla tellus, aqua & aer phænomena proculit, quæ illorum in observando sagacitatem refellerunt: lapidum quoque,

(o) Lib. 4. Inst. cap. x.

3.64.

\*/

30

15

10

5


1

0

*Ad fin.*

*Lib. VIII. de Philosoph.*

*Tom. IV. Num. 18.*





que, herbarum, & animalium genesin, & proprias cujusque vires ac virtutes magnis sumtibus explorarunt: cuncta demum ephemeridibus suis diligentissime sunt complexi. Evidem fateri oportet, quod in multis quoque allucinati fuerint, & a veritatis tramite in errorum avia & invia subinde deflexerint, præcipue quum de mundo, anima immortali, & providentia dei &c. scripsere: eam tamen merito laudem sunt consecuti, quod fere primi per incognitas vias in abdita & secreta naturæ penetrarint, atque ex iis & sibi & posteris copiosissimam studii hujus & meditationis humanæ materiem collegerint. In tres autem præcipuas sectas divisi fuerunt, *Jonicam*, *Italicam*, & *Eleaticam*. Prima Miletii, quæ urbs Joniae est, circa Annum M. 3321. instituta a Thalete, quem *Philosophiae Principem* vocat Plutarchus, *Primum Physicum* Eusebius, *Philosophorum antiquissimum* Justinus, notumque est illud Ciceronis effatum in Tusculanis: *Quando Philosophi esse cœperunt? Thales opinor primus.* Enimvero primus erat, qui deducendo veritates ex principiis certis philosophari docuit: obliquam Zodiaci viam detexit, numerum init Tropicorum & Zonarum cœlestium, solis eclipsin ad cal-

20 Cap. II. Philosophiæ ortus

culos vocatam prænunciavit, annumque illius cursum 356. dierum spatio circum-scripsit. Huic successerunt in secta pro-paganda Anaximander, Anaximenes, & Anaxagoras Clazomenius, qui scholam hanc Mileto Athenas transtulit, &c. Al-tera *Italica*, quam condidit Phythagoras sub annum M. circiter 3460. ex insula Samo oriundus. Post varias peregrina-tiones variis scientiis & doctrinis locu-ples ad eam oram, quæ olim magna Græcia, nunc Calabria dicitur, delatus primum sectæ suæ lapidem posuit. Re-ligioso quinque annorum silentio, quod a discipulis suis exegit, magnam doctri-næ suæ reverentiam conciliavit, ita ut opinione eidem contrariam tuentibus palam diceretur: *ἀντὸς ἡρα: ipse dixit,* quibus verbis acquiescere cogeabantur. Tanta vero illius apud omnes fama erat, ut facile sexcenti ad eum audiendum noctu confluarent, beatos se rati, si vel aspectu Pythagoræ frui possent. Primus fuit, qui arti huic, quam profitebatur, *Philosophiæ* nomen imposuit, illosque, qui magistro sibi operam navabant, *Philosophos*, id est, sapientiam amantes nun-cupavit. Horum præcipui fuere Em-pe-docles, Ocellus, Lucanus, Timæus, Ari-starchus, Alcmæon, Melissus Samius, Phi-lo-

Iolaus &c. Tertia *Eleatica*, que Veliæ sive Eliæ, magnæ Græciæ urbe, surrexit Auctore Xenophane Colophonio, qui celebriores inter discipulos numeravit Zenonem, Parmenidem, Anaxarchum, Leucippum & Democritum Abderiten, quorum postremi Atomistarum parentes jure dici possunt, utpote qui effectuum omnium causam, ipsamque adeo mundi fabricam solis atomis, diversa ratione conjunctis adscripsere.

Quamvis autem e quavis harum trium sectarum viri in Philosophia præstantes prodierint, eminuit tamen facile Jonica, quæ Triumviro celebratissimos dedit scholis, nempe Socratem, Platonem, & Aristotelem. Socrates in Attica natus Anno M. 3536. in ordinem cœpit redigere dispersas præcedentium ideas & naturæ opera, e quibus velut membris in unum corpus collectis artem atque scientiam nobilissimam condidit teste Cicero-ne (p), qui Socratem primum Philosophiam devocasse de cælo, & philosophiæ parentem jure dici posse scribit. Sectæ Ionicæ superstruxit *Academicam*, sic appellatam ab Academia, quæ locus erat in Athenarum suburbio situs, & ab Academo,

(p) *Tuscul.* & lib. 2. de Fin.

22 Cap. II. Philosophiae ortus

mo, viro inter suos nobili, Philosophicis exercitationibus destinatus. Quum vero græcæ juventutis mores quotidie magis corrumpi cerneret, totum se Philosophiæ, quæ de moribus est, tradendæ impendit, illiberali congiario a civibus suis donatus, scilicet cicuta porrecta e vivis ejectus. Plato Athenis nobilissimo genere oriundus circa A. M. 3602. quidam quasi deus *Philosophorum*, ut eum Tullius vocat (q), in patria sua cultissima scholam aperuit, eujus limini inscripsit: *Nemo Geometriæ ignarus ingreditor.* Ejus summa fuit non apud Gentiles tantum, sed etiam Christianos Philosophos, immo apud Ecclesiæ Patres auctoritas. Cicero affirmare non dubitavit, se malle cum Platone errare, quam cum cæteris Philosophis vera sentire. Ius est plerumque dialogis sane elegantissimis ad doctrinam suam explicandam. Demum Aristoteles in theatrum prodijit, quem Plato, cuius scholam viginti annos frequentabat, ob intellectus aciem cuncta penetrantem naturæ spiritum & vitam appellavit, Stagiris oppido Macedoniæ natus circa A. M. 3576. Tantum sibi nomen peperit, ut Philippus Macedonum Rex Alexandrum filium suum ei-

(q) *De nat. Deor.*

instituendum tradere non dubitarit, quem etiam intra decennium totius orbis imperii capacem reddidit. Athenas rever-sus cœpit in Lyceo (schola erat in Sub-urbanis Athenarum) doctrinam suam pa-lam profiteri, & quidem deambulando, unde discipuli ejus dicti sunt *Peripateti-ci*, velut Ambulatores. Methodus ipsius solidissima est, & cæterorum Philosopho-rum methodo anteponenda, quum prin-cipia sua in ratione, & rationes in ex-perimentis fundarit, atque mirabili illa forma Syllogistica a se inventa plane in-victa reddiderit. Scripsisse fertur ultra quadringentos libros, inter quos illi, qui-bus regia Alexandri munificentia opes conferente, naturæ arcana physica ubi-que rimatus, scientiam naturalem mirifi-ce auxit. Libri isti, quos moriens Theo-phrasti Eresii discipuli sui curæ atque custodiæ commendarat, post 160. annos primum eruti lucem denique aspexerunt, Andronico Rhodio a labe ac senectæ vi-tio eos purgante ac emendante.

## VI.

Quantumvis autem hæc, quæ de Ægyptiorum ac Græcorum in Philosophia principatu dicta fuerunt, vera sint & genuina, fateri nihilominus oportet, ip-

fos Ægypti, quin & Græciæ sapientes scientiæ hujus fundamenta promisso e Mosis libris, in quibus præcipue in Genesi, recondita est synopsis quædam & series rerum omnium, quæ in hoc mundo spectabili occurunt, philosophicis considerationibus digna. Angustis quidem terminis, scilicet opera sex dierum, quibus mundum condidit deus, complectentibus omnem Philosophiam suam Moses conclusit, simul tamen sapientibus latissimum cogitandi ac disputandi campum aperuit. Nam in primæ dei opere explicavit prima rerum omnium mundanarum principia, seu maximum illum globum ac tantum, quantus est mundus, tenebris adhuc suis involutum, liquida solidaque mole compactum, quem cœli terræque nomine compellat ipse: veteres vero Chaos dixerunt, tanquam seminarium omnium rerum creatarum e quatuor elementis coagmentatum, e quibus cuncta reliquorum dierum opera quasi ex præparata materia divinus Artifex composuit. Præterea lucem describit, quæ solis vicem tribus primis diebus egit, & diem noctemque prima mundo attulit. Diei secundæ tribuit distributionem aquarum, quæ maxima mole incumbeant terræ globo, ita ut pars in supernas, pars in

in oras infernas amandatæ fuerint posito inter illas firmamento. Tertia die monstrat , qua ratione Deus tellurem partim in montes & colles extulerit, partim in valles & cavernas depressoerit : unde factum , ut aquæ inferiores terrestri globo adhuc circumfusæ velut dato signo eum occuparint, & ibi in maria & lacus, alibi in flumina & fontes se diffuderint, unaque cum terra globum, quem *terraqueum* vocamus, effecerint. Eadem die quum terra prius esset inanis & vacua , nunc Dei jussu gravidam multiplicem herbarum , florum , arborum, fructuum sobolem e sinu suo genuisse commemorat. Diem quartam impendit astrorum regno constituendo , narratque Numinis manu suspensa fuisse duo *Luminaria majus & minus*, nempe solem, qui diei, & lunam , quæ nocti præcesset, signarentque tempora, dies & annos, cum errantium & fixorum siderum choro splendidissimo. In opere diei quintæ ac sextæ docet, quomodo grandi huic ædificio de incolis prospexerit omnipotentia Dei: nempe corpora partim ex aquis partim e vaporibus in aera sublatis, admensa reliquorum elementorum portione formata animavit, & undosam piscibus, aeream avibus regionem habitandam tradidit:

simili ratione terra Dei verbo fœcundata  
e sinu suo profudit innumeras animalium  
gradientium & repentium species natura,  
magnitudine, forma, colore, indele di-  
versissimas, quæ tunc quidem per silvas  
& campos adhuc innoxia errabant. Sub-  
tiliter heic ratiocinatur Moses de anima-  
lium natalibus : quamvis enim singula e  
quatuor elementis prima die creatis com-  
posita fuerint, aliqua tamen, uti pisces,  
ex aquis, alia uti volucres ex aere, re-  
liqua e terra fuisse prognata docet, ni-  
mirum dominante præ reliquis portione  
illius elementi, quod ad habitationem sin-  
gulis erat destinatum. Prodit denique  
Moses ipsam primi hominis genesin, quem  
Deus corpore e limo terræ formato, ani-  
ma vero e nihilo creata condidit, cuique  
sociam vitæ ac secuturi laboris dolorisque  
fœminam e costa viri eductam adjunxit,  
& paradisum seu regionem felicissimam  
omni genere frugum, plantarum, arbo-  
rum & animalium copiæ abundantem u-  
trique habitandam concessit. En! Philo-  
sophiam Mosaicam, quam simplici qui-  
dem narratione absolvit, absque dubio  
tamen plurimi scholiis & doctissimis in-  
ter suos disputationibus exposuit ac il-  
lustravit ; unde ad Chaldæos, Ægy-  
ptios, Græcos, aliosque populos do-  
ctrina

ctrina hæc dimanavit, uti pridem Pa-  
tres cum omni veneranda antiquitate  
evicerunt.

VII.

Verum post primos illos, quorum me-  
mini superius, parentes ac conditores hu-  
jus scientiæ in Ægypto & Græcia, maxi-  
me post Platonem & Aristotelem, Philo-  
sophia cœpit degenerare ab originis suæ  
nobilitate, multisque sordibus fons ille  
limpidissimus infici, vitio non suo, sed  
sequentium quorundam Philosophorum,  
invidia, levitate animi, temeritate, per-  
tinacia & superbia laborantium. Profes-  
to Diogenes cum Cynicis impudentem  
ac sine fronte, Lycon maledicam, mor-  
daciem Cleanthes, impiam Diagoras fecit;  
Zeno falsis eam virtutibus, veris Epicurus  
ejusque discipuli vitiis repleverunt: Pyr-  
rho cum scepticis ubique dubiam reddidit,  
& omnia negandi libidine omnino corru-  
pit. Ita varias in formas migrare coacta  
est Philosophia, prout cujusque prava  
animi affectio atque ambitio iussit, quem  
admodum quesitus est pridem Cicero  
*Nihil tam absurde dici potest, quod non  
dicatur ab aliquo Philosophorum.* Et La-  
clantius (r) unaquæque secta alias evertit,

ut

## 28 Cap. II. Philosophiae ortus

ut se suaque confirmet. Quapropter nemini mirum videri debet, quod Philosophia in plures brevi sectas abierit. Praeter tres jam memoratas, scilicet Jonicam, Italicam & Eleaticam alia fuit *Academica*, cuius dogmatum caput erat, nihil esse certo verum, sed quædam tantum probabilia. Quippe Socratis, cui solempne erat dicere, *se nihil scire*, bonum effatum male interpretabantur Academici: unde nonnisi vehementes in utramque partem disputationes fervebant modico veritatis detegendæ fructu. Alia *Cynica*, quam erexit Antisthenes Atheniensis, quamque Diogenes Cynicus & Crates Thebanus famosam fecere. Nomen autem sortita est a canibus, vel quod canum instar sine pudore quævis etiam foeda palam agerent, vel quod canino dente hominum mores passim arroderent. Alia *Stoica* Zenone Antesignano, qui solitus est stans sub porticu docere: quare *Stoam* adpellarunt. Qui huic successerunt Viri admodum clari fuere Chrysippus, Seneca, Epicetus & alii, qui quibusdam rejectis dogmata Stoæ magnam partem professi sunt. Praecipuum hujus scholæ dogma fuit Apathia seu animi indolentia, qua nefas erat ulla re ad affectiones amoris, tristitiae, gaudii &c. moveri, sed immobi-

mobilem oportebat esse in omnibus *Stoicis*: Fato etiam eversa hominis libertate cuncta fieri ac regi docuere non pauci hujus sectæ discipuli. Alia *Sceptica*, quæ parentem habuit Pyrrhonem Elidensem omniaque in dubium vocavit, nec assentiri cuiquam nec dissentire solita; unde pyrrhornismus, seu falsa tuendi & vera impugnandi libido ortum traxit. Denique *Eclectica*, quæ Potamon Alexandrinus instituit, quæque singulis e sectis dogmata sua collegit, quæ saniora credidit, in nullius jurans verba Magistri; hinc *Electiva* nuncupatur. Ita in partes distracta erat Philosophia, immo perdisca Græciæ libertate Alexandriam a Ptolemaeis migrare jussa est, & aliquamdiu sedem ibi fixit, donec ex Ægypto quoque in exilium pulsa Athenas rediit, non sine insigni lucro & gloria.

## VIII.

Quippe maximi quique viri & flos adolescentum Roma eo profecti sunt, ut audirent Græciæ Sophos, & sapientiæ dogmata tanquam optimas merces in patriam secum asportarent. Tribus enim a constituta Republica seculis armorum bellorumque ad Italiam & finitimas regiones sub jugum mittendas gestorum cura Romano-rum

rum animos obsedit, ut vix aliam ingenii  
culturam adhiberent, nisi quam poscebat  
militia: pacatis postea rebus & instituto  
eum Græcia commercio factum est, ut  
Romani fierent eorum discipuli, quorum  
erant Domini, id quod ingentes magistris  
in arte stimulos addebat ad Philosophiae  
studium totis viribus perficiendum, quum  
tam potentis Reipublicæ, ut erat Roma-  
na, juventutem nobilissimam Athenis ad  
scholas suas advolare cernerent, ejus-  
que probam institutionem maximam esse  
suam patriæque gloriam existimarent.  
Neque juvenes solum, sed & summi Viti  
in ætatis flore constituti eorum disciplinæ  
se commiserunt, uti Lælius Scipio, Ju-  
lius Cæsar, ipseque Tullius, qui postea  
omne fere tempus, quod eloquentiaæ sub-  
trahere potuit, Philosophiae visus est im-  
pendisse. Nam plures scripsit libros, quos  
Academicos vocat, in quibus Platonis &  
aliorum Philosophorum doctrinam expla-  
nat: eam quæ de moribus agit, præser-  
tim Stoicorum & Epicureorum, in libris  
de Finibus & QQ. Tusculanis late perse-  
quitur, & in Hortensio scientiæ huic amo-  
rem estimationemque conciliare modis  
omnibus satagit. Certe turbulentis illis  
Reipublicæ temporibus in villam suam ru-  
ti se recepit, doctisque meditationibus  
Philo-

Philosophicis ac disputationibus adeo intentus erat, ut teste Plutarcho minus curaret se esse Oratorem, quam esse Philosophum. Verum sub Imperatoribus Augustum sequentibus, Tiberio, Caligula, Nerone, Domitiano &c. partim tyrannis & dominandi libido, qua Principes isti flagrabant, partim Philosophorum publica & turpis adulatio, quam certatim vellut tributum Cæsaribus ut ut improbis & stolidis exhibebant, omnem fere artem istam protrivit; multi solo habitu externaque specie Sophos se profitebant, de doctrina, veritate ac moribus parum soliciti: non virtute & studiis, inquit Fabius (s) ut haberentur Philosophi laborabant. Sed vultum & dissidentem ab aliis habitum prætendebant. Inde natum proverbium: *Barbam & pallium video, Philosophum non video.* Mitiora non in illa tempora illuxere regnantibus Trajano, Adriano, Antonino & Commodo, qui non solum favores impendebant Philosophis, sed & ipsi audire Philosophi cuperbant.

## §. II.

## §. II.

## Philosophiæ progressio.

## IX.

Inter hæc nubila emicare cœpit lux Divinæ cujusdam Philosophiæ, quam ipsa æterna Veritas Christus Dei Filius in hunc mundum secum adulit. Per hanc pluri-  
mi absurdique errores gentilis Philoso-  
phiæ subito fuerunt detecti, adparuitque  
quale sit supremum illud Bonum, de quo  
vanissimas tot seculis contentiones & in-  
numerus quæstiones excitarunt Philoso-  
phi: asserta est animæ immortalis condi-  
tio, negata mundo æternitas, Providen-  
tia Dei expulso fato in pristinam sedem  
ac dominatum restituta, detracta vitiis  
virtutum larva; verbo, brevi promulga-  
to per mundum Evangelio naufragam crea-  
re cœpit Philosophia de moribus seu Ethici-  
ca pagana: ea vero, quæ Christi legem  
veramque Sapientiam complexa est, ca-  
put erigere ac plurimos sectatores nume-  
rare vila est. Ab eo tempore Christiano-  
rum multi, præcipue Patres veræ fidei  
vindices, omnem adhibuerunt conatum,  
ut sanæ Philosophiæ placita discerent  
dicerentque alios, eo consilio, tum ut fal-  
sæ paganorum sapientiæ atque superbizæ  
limites

limites ponerent, & præmunirent Christi  
asseclas, ne ethnicorum Sophorum argu-  
tiis deciperentur, tum ut semper in Ec-  
clesia essent Viri eruditione præstantes,  
qui solidis ac subtilibus argumentis nascen-  
tes jam tunc hæreses in ipsis cunis oppri-  
mere noſſent. Quippe non pauci, dum  
temere cum gentilibus Philosophis doctri-  
nam Christianam impugnantibus congressi-  
ſunt, eorum irretiti ſophismatis ad aliena  
a fide dogmata deflecebat, & male  
ſemel prolata postmodum adhuc pejus  
defendebant: alii etiam Philosopherum,  
gens ſectæ ſuæ tenacissima, ut Stoici &  
Platonici, fidelium numero adgregati,  
placita ſua cum regulis christianis con-  
ciliare volentes, infelici partu hæreses  
diſſuderunt, aliosque incautos eodem  
infecerunt doctrinæ ſuæ veneno. Qua-  
propter ad deprimendum philosophiæ  
paganae fastum insurrexere Viri Sapien-  
tissimi, qui studio huic operam ſuam  
addixerunt, inter quos eminebant Ju-  
ſtinus Martyr, Tatianus, Athenagoras,  
Apollinaris Episcopus Hierapoleos, Me-  
liton Sardiac, & S. Irenæus in omnibus  
ſcientiis, verſatissimus: ipſe Tertullianus  
palam fatetur, neceſſitate quadam Reli-  
gionis defendendæ adductum ſe fuiffe, ut  
Philosophiæ ſtuderet: Lactantius, qui om-

34 Cap. II. Philosophiae ortus

nes Philosophorum sectas probe callebat, Arnobius, Ammonius, qui primus Aristotelis doctrinam philosophicam Christianis explanavit: Basilius grandis Dialecticus, & Augustinus, qui tres libros adversus Platonicos scripsit, atque unum de Dialectica, qui in primo operum ipsius Tomo reperitur. Florebat igitur seculis illis Philosophia pura, casta, & a fordinibus ac monstris opinionum ethnicarum a sacris Doctoribus expurgata, qui eam ancillari fidei dogmatibus coegerunt, ne utique vero dominari patiebantur. Certe æmulatio Christianos inter & Gentiles regnans ejus studium ad sublimem gradum evexit, in quo tamen stare illi diu non licuit. Nam ubi seculo IV. & V. Vandali, Hunni, Goths, & Longobardi Italiam inundarunt, sicut aliæ bonæ artes & scientiæ, ita nobilissima hæc, de qua loquor, miserando naufragio periit, paucis in litus evadentibus.

X.

Postquam vero Arabes, maxime in Hispania circa seculum VIII. rerum potiti sunt, quemadmodum in Imperio, ita & in regno literario magna mutatio seculata est. Hominum genus hoc subtili admundum ac præcipiti ingenio præditum Ari-

stotelem ejusque doctrinam e tenebris, in quibus diu sepulta jacuit, in lucem protraxit: sed quum Philosophi hujus verbis atque contextui superstitione nimis inhærent, parum solliciti de soliditate ac veritate indaganda in varios & ipsi errores philosophando sunt prolapsi. Inter hos fuerunt facile principes Avicenna & Averroes, de quibus Vives ait (t): *Isti profosciulis philosophiae & arboribus placidissimis crucem ingeniis fixerunt: Item: Averrois doctrina, & Metaphysica Avicennæ, omnia denique illa Arabica mibi videntur respere deliramenta Alcorani: nihil fieri potest illis insulsius frigidiusque.* Fateri nihilominus oportet, quod multum profuerint scholaisticis sequentibus, qui Aristotelis doctrinæ publice sacramentum dixerent. Quippe ex Arabum sedula lectione subtilem quemdam & accuratum docendi modum hauserunt, qui tacite in scholas se se insinuans ad nostra usque tempora regnare videtur. Profecto Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis, Gilbertus Porretanus Episcopus Pictaviensis, Petrus Lombardus, grandes Dialectici, præ reliquis vero D. Thomas Aquinas, quando in Aristotelis libros incidit, interpretar-

(t) *Lib. 5. de causis corrupt. art.*

pretatione ac translatione Averrois illustratos, methodum inde deponens, sane solidissimam ordinatissimamque, qua ad eruendam veritatem & stabilienda dogmata ac errores refellendos nihil utilius, nihil magis succinctum, nihil clarius simul ac fortius excogitari posse videtur. Atque hanc ipso usu comprobata postmodum in plerisque Orbis Catholicæ Academiis palam secuti sunt præstantissimi qui nobilissimique Doctores, qui scientias sublimiores, maxime Philosophiam ac Theologiam e cathedris professi sunt. Verum neque huic, quæ ratione ac Veterum autoritate plurimum nitebatur, Philosophiæ licuit diu a sectis immuni esse. Prodiit enim Joannes Duns, cognomen Scotus, ingenio supra modum subtili præditus, & Thomisticæ Scotisticam opposuit scholam; Ochamus autem Nominalium caput & Antesignanum se constituit, naturas universas vocibus signare ac distinguere solitus, uti Scotistæ realibus. Quapropter ingens bellum inter scholæ Doctores exortum est, & prout quisque præstabat intellectus acie, usqueoris, cum adversa parte debellatum esse credebat: ad refellendos tamen errores & veterum figmentorum nærias magno consensu conspirabant omnes, & veritatis ac fidei

fidei hostibus formidabile se reddidit ipsum philosophandi genus. His ipsis temporibus novam Philosophia faciem inducere conati sunt Raymundus Lullus, Cardanus, & Paracelsus, ingenia heteroclita & communium opinionum osores perpetui. Hi tres e tribus scientiis, Medicina, Physica, & Astronomia quartam veluti speciem philosophiae confilare nitebantur, unus chymicam, alter cabalisticam, ultimus mechanicam. Lullus e commercio cum Arabibus doctus quidem prodij, sed chymiae fumis plenus, quam scientiam esse quasi dictatoria potestate voluit. Cardanus mixtum quedam e Mercurio & Saturno deprædicavit spiritum, qui nonnisi per somnum se communicaret, & arca na quævis doceret per cabalam e sideribus haustam. Paracelsus novam cedere philosophiam tentavit, advocata in auxiliu arte mechanica, sed præter ænigmata & mysteria vix ulli pervia nihil solidi in lucem protulit, & præceptorum multitudine, ac insolentia terminorum cunctis bonis artibus bellum indixit. Istorum omnium trium obscura & tristis ratiocinandi methodus ætatem non tulit, brevi tempore ubique gentium explosa. Inter ea unum omnem fere Europam philosophias am. & studium corripuit; singulæ nationes

nes pro suo quæque genio illi se indulgebant. Hispani profunda & cuncta rimari adsueta indole prædicti plurimum metaphysicis & dialecticis ratiocinationibus tribuebant: Itali mobilis promptique ingenii, speciosis ideis & curiosis quæstionibus delectabantur, Galli excitatæ ac politicæ mentis, quidquid boni in aliis Philosophis deprehenderunt, sibi ad exornandum, & clare distincteque proponendum vendicarunt: Angli severo & acri studio in ipsa naturæ viscera & secretos caussarum & effectuum recessus per physicas observationes penetrabant: Germani non ita subtile, summe tamen industrii, mechanicis chymicisque experimentis laboriosum quoddam philosophandi genus sunt amplexi.

## XI.

Dum itaque suo quisque genio vivebat in republica Philosophica, nemini præterquam sibi, suisque opinionibus obnoxius, novæ philosophiae fundamenta posuerunt circa seculum XVII. Francisca Baconus de Verulamio in Anglia, & Galilæus de Galilæis in Hetruria, quibus accensendus quoque Robertus Boyleus. Hi rerum naturam diu & profunde rimate eam ad Staticæ ac Mechanicæ leges

ges compositam orbi literato proposuerunt, multisque illustrarunt experimentis. Duces istos magno numero secesserunt in Italia quoque, Germania, Belgio &c. viri doctissimi ni expertissimique Otto Guerickeus, Tschirnhusius, Toricellus, Drebellijs, Schottus, Scheinerus, de Lanis, Raius, Malpighius &c. qui ingenti machinarum adparatu ipsius naturae viscera explorasse visi sunt, de Physica, quam experimentalem vocant, immortaliter meriti. Non minus in Gallia, novandi studiosissima, duo prodierunt, Gassendus & Cartesius, qui Peripateticam eversuri philosophiam longa meditatione aliam fabricarunt, e veterum quorumdam sophorum placitis conquisitam, & imaginationibus suis conformatam, non tam ut veritati servirent, quam ut ab orbe literato plausum ferrent. Petrus quidem Gassendus Ecclesiae Dinensis in Gallia Præpositus, & Mathesis in Academia Parisiensi Professor Regius, circa annum 1645. Epicuri, Democriti & Leucippi sistema de atomis æternis & infinitis, ex quibus mundum & omnia coaluisse volebant, emendavit docuitque, ex iis numero finitis, sed ubique diffusis ac magnitudine figura & motu diversissimis, rite tamen inter se combi-

natis omnia generari corpora, & beneficio decentis nexus atque *texturæ* ut vocant, mira efficiendi, immo & vivendi, vegetandi ac sentiendi vires aquirere. Emendavit inquam, sed simul novos errores & insolita quædam figmenta immiscuit: Renatus vero des Cartes seu Cartesius Hagæ Turonum natus, qui post Iustratas varias regiones diu sedem in Hollandia fixit, tandem Holmiæ, ubi Christinam Sueciæ Reginam philosophicis disciplinis imbuit, anno 1650. vita functus, aliud systema, quod mox referram, in lucem protulit. In Societatis nostræ scholis Flexiæ primum humanioribus & philosophicis excultus studiis, militiæ postmodum animum adjecit, etiam inter arma mathematicis ac physicis meditationibus intentus, quas Lutetiam e castris redux perfecit, & inde in Hollandiam profectus, ne quis philosophandi libertati obsisteret, ibidem typis dedit. Effugere tamen non potuit graves censuras tum virorum doctissimorum Huetii, Voetii, Maresii, Danielis &c. tum ipsius Galliarum Regis, Philosophiam Cartesianam publica interdictione perstringentis. Neque etiam in Italia & Germania, in Hollandia & Anglia firmas radices agere potuit. Fuerunt tamen, qui Cartesii doctrinam

Strinam nimium lascivientem moderati sunt, quos propterea Semi-Cartesianos appellant, quiq[ue] saniora ejus dogmata in Philosophiam suam Eccl[esi]ticam transstuler[unt]. Cætera vir hic ingenio singulari multa scripsit eleganter ac subtiliter, sed toti naturæ quasi vim intulit, ejusque œconomiam vix non penitus evertit. Docuit enim Philosophus iste, in ipso mundi exordio particulas quadratas & cubicas per universum a Deo disseminatas impresso ipsis motu in se mutuo ita impingisse, ut attritis angulis tria diversæ sortis elementa prodierint: ex his primum minutissimas partes continet tanquam scobem subtilissimam: secundum globulos comprehendit, in quos cubicæ atomi resectis angulis tornatæ sunt: tertium in ramentis consistit figuram habentibus hispidam & villosam. Materia sic divisa in triplicem elementorum classem, rapidissimo quem Deus hisce particulis impressit circa voticem suum impetu partes crassiores, minusque ad motum aptæ, a centro fuerunt expulsæ, ac in tertii generis elementum, & ex hoc in globos majores, ut est terra, aqua, aer, deinde in planetas cæteros, si solem excipias, denique in cometas coaluere. At globoſa secundi elementi materia, utpote ad

motum priore aptior, non ita longe a centro vorticis abrepta est, sed velut in medio constituta potissima parte cœlos soli & stellis fixis circumfusos, ætheremque hoc aere nostro multo subtiliorem composuit: primi demum elementi particulae ad vorticis sui centrum confluxerunt, ubi corpus efformant purissimum lucidissimumque, puta solem & stellas fixas, quæ totidem soles minores sunt Cartesio. Constituta sic pro lubidine sua, & in cerebro fabricata mundi machina quasdam heteroclitas opiniones adjecit. Vult enim præterea, motum a deo inditum materiæ semper perseverare, ita tamen, ut quantum de motu una pars amittit, tuncundem alteri communicetur, adeoque nullum recens producitur, bruta esse meras machinas & automata, qualia fere sunt horologia vel organa pneumatica: essentiam corporis positam esse in tria dimensione, scilicet longitudine, latitudine ac profunditate, adeoque fieri haud posse etiam per Dei potentiam, ut duo corpora penetrantur; repugnare vacuum, ut loquuntur Philosophi: plures condi mundos non posse &c. Atque hoc systema suum vocat hypothesis, quam ipsem se finxisse fateatur; ex quo palam fit, quantum veritatis

tatis insit Cartesii doctrinæ, nimirum haud plus, quam cuivis figmento. Infecit tamen secta hæc Cartesii fere omnem Europam: detectis autem demonstratisque non paucis, quibus hæc hypothesis scatet, erroribus non defuere viri docti, qui sanas quasdam opiniones, & physi-  
cis rebus scite explicandis admodum idoneas, ut dixi, in suam philosophiam non sine ingenio transtulerunt. Post Gas-  
sendum & Cartesium memorandus venit Isaacus Newtonus, Eques Auratus, cui patria fuit Cantabrigia in Anglia, vir pro-  
fundissimi ingenii, qui præclaris novisque inventis utrumque seculum illustravit, na-  
tus 1642. mortuus 1727. ætatis anno 85.  
Hic aliam Philosophiæ cœconomiam insti-  
tuuit: nam abjectis hypothesis, quibus nimium tribuebant qui antecesserant, ad ipsa naturæ phænomena profundius ri-  
manda animum & manum adjecit, at-  
que ex illis intimæ perspectis certas leges eruit, quibus mutuas corporum ad se in-  
vicem affectiones determinavit, atque exosam illam priori seculo vim attrahen-  
tem, seu *attractivam*, corporibus insi-  
tam Philosophiæ restituit.

## XII.

Interea dum isti scientiam hanc in aliam redigere formam ingeniosius quam felicius conabantur, alii præsertim in Anglia, Batavia & Germania hoc & priori seculo fuerunt, qui omnem fere laborem & conatum in experimenta, seu physicam *experimentalē* prodegerunt, quibus arcana naturæ plura semper & plura in lucem protraherentur: detecta est aeris gravitas & vis elastica, ejus siccitas & humor, frigus & calor ope Barometri, Thermometri Hygrometri; maxime vero illius vires suspendæ, ac mirabiles effectus sese prodiderunt in nobilissima machina, quam Antliam pneumaticam adpellamus, & in hemisphæriis Magdeburgicis: ignis latens virtus explorata fuit per vitra & specula caustica & parabolica, novissimisque temporibus copiosa naturæ prodigia palam fecit Machina Electrica. Non minus prospero eventu tentata est indeoles aquæ, quod testantur fontes salientes, aquæductus ad maximam altitudinem evecti, detecta elementi hujus cum aere æquilibrio, campana cujus ope Urinatores sub aquas innoxii descendunt, aliæque plures machinæ hydraulicæ, ut nihil dicam de iis, quæ in summum navigatio-

nis


nis commodum inventa fuerunt. Terra quoque immunis non fuit ab indagine sagacium ingeniorum: mira magnetis virtus magnis aucta incrementis, explicata ejus vis attrahens & repellens ferum, ac dirigens ad mundi polos, fossilem terræ ac plantarum cognita natura & vires, lustrata terræ motuum ac ventorum patria. Meteoris etiam ac phænomenis iridis, fulminum & cometarum genesi, caussæ marini æstus &c. detegendis ac explanandis opera non inutilis est impensa: verbo, nihil ita reconditum in naturæ sinibus, quod non indefesso labore ac studio, quantum fieri potuit, a Philosophis magni nominis ac ingenii fuerit in lucem publicam protractum. Hæc facies Philosophiæ, quæ hodie in plerisque regionibus viget, & in qua plurimum experimentis, parum ratiocinatio- ni datur, & tantum doctrinæ soliditatî ad alias quoque scientias plane ne effariæ detrahitur, quantum curiositati libe- ro cursu per omnia vaganti adiicitur. Ne vero quidquam deesset veteri Philo- phiæ nimio speculandi studio deditæ seu emendandæ seu evertendæ, methodum quoque novam invexere quidam anti- quæ pertæsi, inter quos Wolfius in Ger- mania notissimus, qui Scholasticæ ac Ari- sto-

46 Cap. II. Philos. ortus & progressio.

stotelice Mathematicam seu Geometricam substituit, innumeris scholiis distinctam. Hæc pro iis solum ingenii condita esse videtur, quæ in insulis fortunatis nata sunt; & quamvis per plures annos magnō, ut in rebus novis fieri solet, plausu excepta sit methodus ista, validis tamen argumentis ostensum est, eam ad crucienda potius ingenia, & per innumeros flexus viarum in labyrinthum quemdam vel chaos impervium perducenda, quam ad claras cognitiones rerum & genuinæ veritatis doctrinam провendam excogitatam fuisse, ut pluribus suo loco demonstrabitur. Quare senior Philosophorum pars Eclecticam hodie Philosophiam profitetur, meliora ubique dogmata feligentem, & utriusque summi experimentis tum rationi tribuentem, servata methodo Aristotelica, qua ad veritatem indagandam stabilendamque sane mellor hucusque inventa non est.



CAPUT



## CAPUT III. OECONOMIA PHILO- SOPHIAE.

### §. I.

#### *Partitio Vetus.*

### XIII.

**E**mendo historiæ Philosophicæ spatio ad ipsam scientiæ hujus œconomiam & structuram pergo, tam antiquam, quam novam, si tamen nova dici potest, quæ permutatis solummodo nominibus, ordine ac phrasibus quidquid boni doctique habet, venerandæ antiquitati acceptum referre debet. Vetusissimis temporibus Philosophiæ ratio ea fuit, ut circa unam solum physicæ speciem versaretur, angustis omnino terminis conclusa, uti maximis etiam fluminibus contingere solet, qui tenuem habent originem, & primum rivi sunt, quos utroque pede transilire licet. Amplior facta est, & fines suos dilatavit ævo Socratis, qui Ethicen addidit, seu quæ de moribus est: Plato autem Dialecticen adjecit, atque ita consummato Philosophiæ operi manum extre-

tremam imposuit. De hoc Apuleius (u) testatur: „ Quapropter inventa Parmenidis ac Zenonis studiosius executus, ita omnibus, quæ admirationi sunt singulari, suos libros explevit, ut primus tripartitam Philosophiam copularet, sibique invicem necessarias partesque pugnare inter se tantummodo, sed etiam mutuis adjuvari auxiliis ostenderet. „ Hanc partitionem secuti sunt fere omnes post Platonem, totamque qua late patet Philosophiam distribuerunt in *Naturalem*, *Moralem*, *Dialecticam*. Prima omnem naturam, & arcanorum causas scrutatur, nec solum universis, sed etiam singularibus est intenta: præterea complectitur Physiologiam, Metaphysicam & Mathematicas quasdam disciplinas. Altera prudentem virum & bonum per morum præcepta format, seu Stoica illa sit, seu Academica. Tertia bene differendi rationem docet, dum ratiocinando ex cognitis incognita deducit curatque, ne in dogmatum naturæque examine declinet intellectus a veritatis tramite fallacis cuiusdam argumenti specie deceptus. Nec sine consilio facta esse videtur hæc in tres partes distributione. Quippe Philosophia tota quanta est,

ad

(u) In dogmate Platon.

ad felicitatem humanam ordinatur teste Augustino (x) qui ex Platone demonstrat, nullam homini esse philosophandi causam, nisi ut beatus sit: felicitas autem humana duabus basibus insit, scilicet actioni virtutis ac contemplationi veritatis. quare opus est geminis quibusdam scientiis, quarum una ad virtutem morumque honestatem erudiat; estque haud alia, quam *Moralis Philosophia*: altera vero, quæ solius veritatis cognoscendæ studio occupetur, diciturque *Physica seu Naturalis*: e quibus tertia demum oritur, nempe *Dialectica* seu ars differendi, quæ certas leges præscribit, quibus exclusa falsitate intra veritatis limites mens contineatur, neve errore decepta allucinetur. Hoc ipsum apta similitudine declarat S. Augustinus (y) dum ait: „Quemadmodum tria sunt, quæ in quolibet artifice, ut alii quid efficiat, spectantur, *Natura*, *dæcina*, *usus*, quorum primum ingenio, secundum scientia, tertium fructu dijudicatur, sic triplex a Philosophis inveneri debuit disciplina: *Naturalis* propter naturam, *Rationalis* propter „do-

(x) *Lib. 19. de Civit. Dei. cap. x.* (y) *Lib. 8. de Civit. Dei cap. 4.*

## 50 Cap. III. Oeconomia

„ doctrinam, *Moralis* propter usum. „  
Hæc partitio erat veteris Philosophiæ.  
Fuerunt tamen, qui ævo illo, quo Ari-  
stotelis doctrina diu sepulta rursum ca-  
put erigere cœpit, ac latius dominari,  
eundem ducem secuti integrum scientiam  
hanc majoris claritatis ac ordinis melio-  
ris gratia in quatuor partes diviserunt,  
scilicet in *Logicam*, *Physicam*, *Metaphy-  
sicam* & in *Eticam* seu *Moralem*: At-  
que hæc divisio magno Doctorum con-  
sensu, longissimoque usu in præcipuis Aca-  
demiis in hanc usque diem recepta & civita-  
te donata fuit: nec absque prudenti consilio  
ac maturo iudicio. Est enim Philosophia  
cognitio earum rerum, quæ nosse ad  
hominis perfectionem pertinet: primo  
quidem, ut sciat ratione uti, quod offi-  
cium Logicæ proprium est, quæ regulas  
tradit omnino certas, & veluti limites  
ponit, quibus si recte utatur, in orbita  
continetur ratio, ne ultra veritatis viam  
regiam evagetur. Deinde ut hunc mun-  
dum aspestablem, cui contemplando na-  
tus factusque est, non ignoret, quod  
Physica docet, cuius munus est, mor-  
tuum & naturæ tum universæ tum sin-  
gularis origines ac primos fontes, caus-  
as & effectus scrutari. Rursus ut ex  
mundi cognitione ad Dei & rerum di-  
vi-

vinarum cognitionem, quantum ipsi fas est, adsurgat; & hoc Metaphysica bene vole præstat, quæ tum circa communissimas entis rationes ab omni materia abstractas, tum circa res altissimas, Deum, Angelos &c. occupatur. Demum ut rete vivere sciatur, quod est opus Ethices seu Moralis, ultimum hominis finem, honestatem in agendo, vitiorum ut fugiat, & virtutum ut segetetur, indolem contemplantis.

## §. II.

*Partitio nova.*


## XIV.

Verum postremis hisce temporibus, ut novam & meliorem, si superis placet, faciem inducerent Philosophiaæ Neoterici, præcipue Wolfius, de quo prius memini, & scholam suam usque ad Peripati contemptum plausibiliorum redde rent, aliis uti nominibus, aliamque totius fabricæ divisionem machinari coep erunt. Quas Peripatetici *primas mentis operationes* ac *simplices apprehensiones*, illi *notiones* ac *rerum ideas* vocant, ita ut ipsa in mente existens imago rei, quæ repræsentatur, *idea objectiva*, cognitio repræsentans *idea formalis* audiat. Co-

52 Cap. III. *Oeconomia*

gnitionem autem ex notionibus ortam triplici ordine ponunt, atque *bistoricam*, *philosophicam* & *mathematicam* adpellant, quarum prima est nuda rerum naturalium cognitio, altera ratione firmata, tertia vero *quantitate claritatis*, *intensionis*, *motus*, *velocitatis* &c. vestita. Præter hæc eam Philosophiæ partem, quæ de Deo agit, *Theologie naturalis* quæ de anima *Psychologiae*, quæ de corporibus, *Physicæ*, Metaphysiæ autem *Ontologiae* nomen imponunt. Non minus ipsa Physica, ejusque partes novis abundant vocibus: illam quæ prima tradit rerum principia *Dogmaticam*, quæ experimentis operam novat *Experimentalem*, quæ mundi fabricam considerat *Cosmologiam*, quæ meteora explicat *eteorologiam*, quæ de fossilibus agit *Oryctologiam*, quæ de aquis, plantis & vivis corporibus anima præditis tractat *Hydrologiam*, *Phytologiam*, *Physiologiam* salutant. Philosophiam demum, quæ circa morum institutionem versatur, & ipsi *Praetoricam* vocant, in *Ethicam Politicam*, *Oeconomicam* & *Technologiam* partiuntur. Enī latentes sub novis & speciosis nominibus res antiquas. Quis enim est adeo in hac scientia peregrinus, qui non videat, hæc omnia, quæ Nęoterici voca-  
bus

bulis istis designant, pridem in Peripato non docte minus, quam utiliter ac splendide pertractata fuisse, & hodie adhuc pertractari, licet retenta veteri, id est, solidiore methodo, qua non solum experimentis ad scrutanda naturæ arcana servientibus, sed etiam ratiocinationibus ad intellectum acuendum & ad omnes alias scientias sublimiores rite percipiendas adeo necessariis locus conceditur, ne Philosophia in merum mechanismum (ut modo passim fit, sed perperam) degenerare videatur. Ista de partitione: nunc ad ipsas partes; & primum quidem ad Logisticam.



## CAPUT IV. LOGICA.

### §. I.

#### *Logica docens.*

#### XV.

**H**æc si Ciceroni credimus, est *ars vera & falsa dijudicandi* (z) & *Dialectica veri & falsi, disceptatrix*

(z) *Lib. 2. de Orat.*

*trix & judex* (a). Utroque nomine complectimur eam Philosophiae partem, quæ mentem & rationem in veritatis cognitionem dirigit, hæc disputando, illa ratiocinando. Aristoteles, qui primus operi huic stabiliendo ac perficiendo manum admovit, perquam honorifica adpellatione eam insignit, dum *Organum* seu instrumentum vocat, quo ad alias scientias omnes acquirendas utimur. Primum autem in discendo docendoque locum Logica merito sibi vendicat, quem prius quam in rebus ipsis veritatem inquirimus, modum inquirendi scire oporteat. Quanta sit artis hujus dignitas atque utilitas, facile patet ex fine, quem sibi præfixum habet: quemadmodum enim nihil est mente dignius, nihil menti magis necessarium quam veritatis cognitio, ita nihil præstantius atque utilius ea facultate, quæ mentem in veritatis cognitionem velut manu dicit. Nec minor est necessitas illius ad scientias in gradu quodam perfecto acquirendas, utpote quam aperte profitetur. D. Augustinus (b) dum ait: *Disciplina disciplinarum, quam Logicam vocant, hæc docet discere, hæc sola scientes facit.* Nolim per omnes longio-

(a) *Libr. 4. Academ.* (b) *Libr. 2. de Ordin.* cap. 13.

giore circuitu scientias vagari: sufficere poterit Ciceronis iudicium de Jure Civili (c). „ Sic enim Brute, inquit, exi- „ stimo, Juris Civilis magnum usum es- „ se & apud Scævolam, & apud mul- „ tos fuisse: artem in hoc uno: (nem- „ pe Servio Sulpitio) quod nunquam „ effecisset ipsius Juris scientia, nisi eam „ præterea didicisset artem, quæ docet „ rem universam tribuere in partes, la- „ tentem explicare diffiniendo, obscuram „ explanare interpretando, ambiguum „ primum videre, deinde distinguere, po- „ stremo habere regulam, qua vera & fal- „ sa dijudicarentur, & quæ quibus propo- „ sitis essent, quæ non essent consequen- „ tia. Dialecticam mihi videris dicere. „ ita plane. &c. „ Profecto & Gratianus Juris Sacri, & Ulpianus Profani con- ditores pertitissimos, ut alios quamplu- rimos silentio præteream, in palæstra Dialectica diligenter & gnaviter desudas- se omnibus palam est, Platonis forte ju- dicio excitatos, cuius illud fuit hac in re decretum: Accessum ad civiles artes intercludendum esse iis omnibus, qui de arte Dialectica nihil ante prælibassent. Merito igitur de illis expostulandam, qui-

(c) In Bruto.

quibus insalutata Logica, vel non probe cognita ad jurisprudentiam, aliasque scientias transiliendi venia conceditur cum gravi reipublicæ damno. Jam vero Logica, quemadmodum hucusque in scholis bene moratis tradita fuit, partim quæstiones, partim præcepta complectitur; Si enim utraque hæc miscerentur, periculum foret, ne quæstionibus præcepta obruentur, ac confunderentur. Inde nata est divisio in *Logicam Minorem & Logicam Majorem*. Minor tres mentis operationes, *Apprehensionem, Judicium & Argumentationem* explanat: in prima de terminis in schola usitatis, eorumque proprietatibus sciitu necessariis, de suppositione, definitione ac divisione agit, harumque rectam constructionem regulis quibusdam concludit. Secunda propositionum naturam, varietatem, oppositionem, contradictionem, & contrarietatem ac conversionem indagat, certasque pro his omnibus leges statuit. Tertia de argumentatione tractat, de natura & multiplici specie syllogismorum, quibus principiis dirigatur, quot figuris & modis constet; tum regulas præscribit, vitia detegit, modumque inveniendi argumenta suppeditat. Hoc Logicæ minoris opus est. At Major tota est in quæstionibus circa tres me.

memoratas mentis operationes & propo-  
nendis & solvendis: & quidem de quin-  
que universalibus , genere , specie , diffe-  
rentia , proprio & accidente ( Isagogen  
adpellant , quam conscripsisse fertur qui-  
dam Judæus , Malchus nomine , qui dein  
de Porphyrium se dixit , & de quo incer-  
tum , magisne doctus an impius fuerit ,  
quippe Apostata & Christiani nominis ho-  
stis accerrimus) de prædicamentis substanciæ  
quantitatis , relationis , qualitatis &c.  
Demum propositionis & syllogismi vim &  
dotes examinat. Hæc omnia Aristoteles ,  
quem Tullius merito utriusque partis Dia-  
lekticæ principem vocat , tum libris περὶ  
ἴρων τὰς seu interpretationis , & Catego-  
riarum , tum Analyticis & Topicis , atque  
Elenchi , ubi omnes sophismatum falla-  
cias in lucem protrahit , consignata reli-  
quit. In his primus novam detexit viam  
perveniendi velut geometricis passibus  
ope syllogismi per evidentiam demonstra-  
tionis ad veram plenamque scientiam.  
Certe methodus demonstrandi , quam ex-  
cogitavit viri hujus ingenium tam profun-  
dum quam excelsum , semper visa est sa-  
pientibus esse opus numeris omnibus ab-  
solutum , & ipsa syllogismi constructio tam  
perfecta , ut nihil addi , nihil demi possit  
sine manifesto demonstrationis & totius

qua late patet scientiæ evertendæ pericolo. Fuere quidem, qui alias aliasve ratiocinandi vias diversis temporibus quasi vadum tentarunt, uti Raymundus Lullus, Ludovicus Vives, Cardanus, Cartesius, Wolfius &c. Sed eventu parum prospero, & fructu sane nullo, nec cujusquam methodus ætatem terre potuit, quemadmodum Aristotelis.

## §. II.

*Logica utens.*

## XVI.

**N**on est mei instituti, singula Logicæ hucusque descriptæ præcepta, leges & dogmata excutere ac pluribus persequi: illud solum paucis palam facere decrevi, quam vim qualesque vires habeat Logica ad intellectum hominis sive rationem vel emendandam vel perficiendam. Nihil homini facilius est, quam ratione uti, quum hoc sit illi ingenitum: sed nihil difficilius, quam veritatem ab errore distinguere, ad quod opus est Judicio exacto, & Ratione ideis rerum optimis & sanissimis imbuta, quæ si desint, non solum in Philosophia & reliquis scientiis, sed etiam in rebus sacerrimis ad fidem pertinentibus frequenter


ter allucinabitur. Sunt enim ingenia quædam, quæ sponte sua amant decipi & decipere, quæ obviis quibusque ratiunculis temere abripi se patiuntur, emunt sine statera sine pondere malas ratiocinationes & vendunt aliis, audacter decidunt ea, quæ ignorant & non intelligunt. Sunt alia, quæ proprio indulgent sensu non sine pertinacia, & præjudicatis tenacissime inhærent opinionibus, nec aures præbent iis, a quibus errores suos dedoceri possent; malumus enim errare, quam ignorantiam fateri, qua tamen re nihil justius, nihil humanae conditioni conformius foret. Sunt demum, quæ licet optime perspectum habeant, esse innumeræ res obscuras, dubias, & implexas, nihilominus aura vanitatis se sinunt abstrahi, & ne populari credulitati addicta videantur, propugnant mordicus ea, quæ nulla ratione certa sunt: contra vero non multum solicita de penetrando rerum fundo in dubium trahunt veritates a majoribus & ævi sui sapientibus viris receptas, etiam in negotio Religionis, quod Pyrrhonismi species quædam est. His intellectus humani imbecillitatibus & morbis optime medetur Logica, cuius princeps finis est perficere rationem; & quamvis hæc donum quoddam naturæ sit, non artis & laboris, tamen

tamen ars & labor plurimum adjuvant, culturam adhibent, & ad sublimem perfectionis gradum eandem in veritate detegenda elevant, cujus rei monumenta innumera exstant in veteribus etiam sophis, ingenio & ratione a natura liberalissime instructis. Nam cultorem suum docet non acquiescere, donec principium quoddam naturæ lumine notum, & veritatem adeo claram, quæ sit extra omne dubium posita, inveniat. Hac inventa audacter eruit veritates alias, quæ vel necessario quodam nexu, vel certe absque falsitatis periculo consequuntur. Unde in doctrina sua atque judicio firmus est, inflexibilis ac perturbari nescius. Atque hoc fit regularum Logicarum ope, quas rite perceptas omnibus aliarum quoque scientiarum quæstionibus & ratiocinationibus circa res quaslibet versantibus tuto applicare potest: præsertim vero methodus Syllogistica, quæ nonnullis plusquam oportet sapere volentibus longa nimis ac invidiosa videtur, omnino necessaria est juvenibus, qui operam dant Philosophiæ, quorum ingenium necdum firmum, & judicium necdum est apertum, tum ne mentem erroribus & falsis ideis obnoxiam faciant, tum ut intra veritatis limites discant se suasque cogitationes continere.

Amplius

Amplius quid dicam; si sedulx<sup>e</sup> huic primæque institutioni quotidianum accedat exercitium, ususq<sup>ue</sup> practicus regularum, intellectus juvenum mire acuitur, illustratur, & magis magisque e suis se tenebris evolvit: simul etiam facilitatem acquirit sese explicandi, sentit illico sophisticas pedicas, novitque extricare illis mentem suam, quin difficillimas quoque & abstrusissimas quæstiones inoffenso p<sup>e</sup>de ingreditur, ita ut admiratione digna res sit, juvenes ab uberibus amœniorum literarum avulso intra modicum tempus, quod Dialecticæ indefesso studio impenderunt, intellectum ad reliquas Philosophicæ partes cum dignitate ac laude maxima perdiscendas promptum ac perspicacem instar patrimonii secum afferre.





## C A P U T V. PHYSICA.

§. I.

*Ejus Prolegomena.*

XVII.

**E**meno Logicæ pelago plurimis naufragiis famoso, utpote in quo tot Adolescentum ingenia, cæteroquin Philosophiæ cæterisque scientiis aptissima, laboris ac remigii impatientia merguntur, ad Fortunatas Physicæ Insulas accedimus, in quibus etiam agere hyberna deliciis plena res est. In hac naturam, ejusque opes ac prodigia nullis aliis quam ingenii sumtibus spectare licet ac contemplari. Per terras, maria, cœlum, & quidquid his continetur, libero velut oculo prospectus patet amoenissimus, voluptati simul honestissimæ, ac multiplici percipiendo fructui servitrus. Siquidem curiosum nobis natura ingenium, ut ait Seneca (d) dedit, & artis sibi, ac pulchritudinis sua conscientia, spectatores nos tantis verum spectaculis genuit, peritura fructum sui, si tam

(d) *De vita beata cap. 32.*

tam magna, tam clara, tam subtiliter duxa, tam nitida, non uno genere formosa solitudini ostenderet. A cœlo duxisse originem suam ipsa S. Scriptura testatur dicens (e) creavit illis (nempe primis parentibus) scientiam spiritus; sensu implevit cor illorum; & mala & bona ostendit illis. Posuit oculum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum, ut nomen sanctificationis collaudent; gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum ejus. Hoc ipsum Tollus sensisse videtur, dum de arte ista nullum aut melius a Diis datum esse munus homini asseverat. Dicitur autem Physica απὸ τῆς φύσεως, id est, a natura, quoniam est disciplina explicans rerum naturalium scientiam, quæ quum universo considerari possit, & singillatim, scite in Physicam Universalem & Particularrem dividitur: prima corpus naturale generatim sumtum, ejus principia, & quas vocant proprietates contemplatur, & ad examen vocat: in altera singula corporum genera expenduntur, eorumque vires, affectiones, & effecta demonstrantur. Ordo enim optimus scientiarum arbiter, & parens claritatis postulat ut prius, quæ omnibus convenient, probe peripiciantur,

tum

(e) Ecclesiast. cap. 17.

tum vero ad ea , quæ singulis insunt propria , gradus promovestur. Noliin autem , ut quisquam sibi persuadeat , me heic Physicam docere ; sed summa duntaxat ejus capita persequi animus est , ac opes quas in sinu reconditas habet , conspectui exponere brevi quadam synopserum illarum , quæ in utraque illius parte pertractari solent in scholis. Et primo quidem velut proœmii loco præmittere juvat historicam totius mundi , ejusque structuræ veluti enarrationem.

## XVIII.

*Qida  
supra  
p. 38.*

Partiuntur illum Philosophi in mundum *subterraneum* , *sublunarem* & *cælestem*. Primi schema exhibit nobis ingeniosissimus ac celeberrimus Kircherus S. J. (f) nempe globum orbis terrauei quasi dissestum , ita ut ipsa terræ viscera adpareant , & licet oculis subjici non possit ipsa res , rei tamen imago magnam meretur fidem , quum rectæ rationi ac experimentis respondeat. Medio circa centrum terræ loco Patrum & fidelium consensu infernum ponit , e quo varii meatus *subterranei* velut totidem camini & stygii fornacis spiracula versus terræ superficiem usque ad extimum ejus limbum excurrunt , atque

(f) *In Itinere Exstatico.*

que in montes ignivomos seu Vulcanos desinunt. Minores quoque hinc & inde offerunt se fornaces sive ignis receptacula, quæ *pyropbylacia* vocantur, e quibus sulphure, bitumine, pice aliaque concipiendæ fovendæque flammæ apta materia referunt per alveos intra terram latentes copiosus ignis dispensatur. Præter hæc dispositæ quoque sunt variis in locis voraginest vaste (*Hydrophylacia* dicuntur) in quibus ingens stagnat moles aquarum, quæ per occultas cum Oceano vias junguntur, & diversis in locis vortices faciunt, ubi fluctus maris modo cum strepitu infra terram absorbentur, modo per vices iterum evomuntur. His addi possunt *Atmophylacia* seu prægrandes fossæ ac cryptæ sub terra latentes, in quibus saepe aer conclusus, & per eos, quos dixi, ignes subterraneos rarefactus, jamque carceris impatiens vi viam sibi facit, & terram ingenti cum fragore concutit, unde terræ motus oriuntur.

## XIX.

Mundi *Sublunaris* nomine globum teraqueum & atmosphærām huic incumbentem, seque versus Lunæ concavum ut vocant, explicantem complectuntur Philosophi. Terraqueum autem dicunt, quia

terræ, quam incolimus, superficiem pas-  
sim flumina secant, & lacus ac maria di-  
stinguunt, solida fluidis & fluida solidis  
provida miscente natura, ut humano me-  
lius consuleret commercio. Fundamen-  
tum amplissimi hujus ædificii non est nisi  
unicum punctum, quod terræ mundique  
centrum adpellamus. Atque hoc pun-  
ctum minimum Architectonicæ Divinæ ma-  
ximum est miraculum: ea enim est il-  
lius indoles, ut omnia corpora *Sublunaria*  
unanimi velut consensu affectuque, &  
quam proxime possint, eidem adpropin-  
quent; qua ratione fit, ut dum elementa  
quasi pro loco certant, gravioribus levio-  
ra superantibus terra centro, aqua ter-  
ris, aer aquis superincumbat, omniaque,  
dum ex congenita gravitate ad hoc cen-  
trum totis viribus ex omni parte contem-  
pant, mutuo in se nisu & impetu globum  
solidum, suaque stantem mole compo-  
nent. Grandis hæc moles non minus re-  
quirebat materiæ. Hanc in momento  
invenit Architecti Divini potentia: primo  
elementa quatuor terram, aquam, aerem,  
ignem, deinde ex his certa sibique co-  
gnota mensura permixtis reliqua omnia,  
quæ *mixta* vocamus, condidit. Non mi-  
nore autem cura machinam hanc, ne ab  
elementis in se continuo pugnantibus dis-  
sol-

solvatur, conservat Deus, quam qua eam fabricavit. Quippe non solum eas elementis eorumque viribus leges posuit, ut quod unum destruit, alterum paret, sicque unius corruptionem alias generatio excipiat: sed supernos que Gubernatores constituit potissimum planetas, qui subjectum sibi mundum *sublunarem* perpetuo circumveant, suoque *influxu* alterno laboranti suppetitas ferant. Inde perpetuum terrestria inter ac cœlestia corpora interveniente atmosphæra commerium. Ad figuram hujus fabricæ seu Terræ quod attinet, divinus Opifex induxit perfectissimam, nempe rotundam. Hanc enim præferunt Architecti omnibus aliis. Hinc procul Anaximander cum columna sua, Leucippus cum cylindro, Empedoles cum mensa, Cleantes cum cono, Neoterici quidam cum figura ovum imitante, de qua multa novissimis temporibus speciose dicta scriptaque fuerunt, sed nullo stabili experimento firmata. Quamvis autem ingentes montium pyramides passim exurgant, & valles profundas post se relinquant, nihilominus quum celsissimi montes, si cum tota vastissima terræ mole comparentur, nonnisi grana esse videantur, globo alicui adhærentia, terram *physice* rotundam esse asserere non du-

bitant Philosophi, qui nodum in scirpo  
quærere nolunt. Cætera quietæ in sta-  
tione sua terræ licuit esse, donec Philo-  
laus Pythagoricæ sectæ discipulus quadrin-  
gentis circiter annis ante Christum natum  
terram circa solem immotum annua pe-  
riodo ambulare docuit. Opinionem hanc  
diu sepultam excitavit longissimo anno-  
rum intervallo Nicolaus Cusanus, vir do-  
ctus & purpura insignis: Nicolaus vero  
alius, nempe Copernicus Torunensis, ul-  
timam manum admovit, dum proscriptam  
e mundi centro terram, substituto in ejus  
locum sole, planetarum per cœlos vagan-  
tium choro accensuit. Multi systema hoc  
tanquam hypothesin ingeniosam defen-  
dunt: plures ut sacræ Scripturæ testimo-  
niis sane luculentis & communi hominum  
persuasioni adhuc firmæ contrariam reji-  
ciunt. A terra ad oceanum accessus pa-  
tet, aquarum omnium patrem, in quo  
natales suos simul & sepulchrum habent fon-  
tes & flumina. Nam ut Ecclesiastes ait  
*ad locum unde exeunt flumina, revertun-  
tur, ut iterum fluant.* Flumina quidem  
& fontes, quæ in locis non admodum edi-  
ctis oriuntur, a vastissimis oceani aquis  
tota vi per canales sub terra latentes ex-  
truduntur, & supra libellam elevantur:  
quæ vero in altissimis montium jugis na-  
scuntur

scuntur & perennia sunt, ex aquis giguntur per ignes *subterraneos* in vaporem solatis, calorisque ope intra montium cavernas instar nubium in altum sublatis, ubi aquarum guttae in hydrophylaciis collectae per montium latera exitum inventiunt, & in fontes ac demum flumina transeunt. Tellurem aquis permistam ambit Atmosphæra seu aer continuis effluviis & exhalationibus infectus. Certum enim est, vastissimum globi *terraquei* corpus vel ex alto ab astris, vel a caussis intra terræ viscera latentibus continuo solicitari, & in perenni generationum ac corruptionum motu versari. Vapores autem dicuntur halitus illi, qui ex aqua calore solis in subtilissimas quasi membranas extenuata, inque bullulas aere rarissimo plenas abeunte constant: exhalationes vero ex minimis particulis sulphureis, nitrosis, salinis ac viscosis vel solis vel ignium sub terra dominantium calore liquatis, & a reliquo corpore solutis compunctionur, agunturque sursum magna vi ab igneis spiritibus inclusis. Ex his nix, grando, pluviae, fulgura & fulmina diversis temporibus oriuntur, & sunt Jovis ningentis & tonantis instrumenta. Atmosphæram sic constitutam dividunt Philosophi in tres aeris regiones, quibus

certos vix non pro lubidine sua fines ponunt. *Infimam* regionem terræ superficiem proximam atque animantium respirationi volucrumque habitationi destinatam ad montium mediocrium altitudinem sere per dimidiæ horæ spatium extendunt, ita ut altissimi summo vertice suo supra illam emineant. In *Media*, cui unum milliare germanicum seu duas horas passim tribuant, ut plurimum vapores & exhalationes eo sublatæ dominantur; hinc nivium, grandinis & pluviarum patria est: in hac velut officina Jovis arma ceduntur, emicant fulgura, excutiuntur fulmina, accenduntur stellæ desultoriæ, & quæ alia sunt meteororum igneorum genera pleraque. Exurgit hæc contignatio ad altissimorum montium cacumina, ut sunt Caucasus, Teneriffa, juga Carpathica, Olympus &c. *Suprema* denique statio duabus subjectis purior, subtilior & altior est: a supremis ferme montium jugis initium dicit, & ad lunarem usque orbitam excurrit. In hanc regionem, uti ajunt, vaporibus vix ullus, sed tenuissimis duntaxat exhalationibus aditus patet, atque inde cometas sublunares generari multorum suspicio est.

## XX.

Lustrato Sublunari mundo ad Cælestem eluctari juvat. Dividitur autem cœlum, quod conspectui nostro patet in sidereum & planetarium. In primo vigilias agunt stellæ fixæ, quas ita vocamus, non quod eodem semper loco consistant, sed quod eandem ut plurimum inter se distantiam observent, & velut gemmæ orbi maximo, cum quo volvuntur, affixæ mortaliū oculos fulgore suo eminus perstrin-gant. Alterum occupant stellæ Errantes, quæ tum a se ipsis, tum a fixis varie distare solent, & velut legibus solutæ per cœlestes plagas vagari videntur. Numerum stellarum qui desiderat, audiat ipsum Opificem summum dicentem (g) *numera stellas si potes.* Ptolomæus mille & viginti duas, Kepplerus mille trecentas & nonaginta, Pardies mille quadringentas & octoginta, Hevelius mille octingentas octoginta octo inermi oculo observasse se scribunt: armatis vero oculis ope Telescopiorum numerus sine numero deprehenditur. Solam viam, quam Laetream vocant, quæ obliquo tractu Äquatorem inter & Tropicos intercedit, & a fabulosa antiquitate Deorum cœlos obambulan-tium

(g) Genes. 15.

tium iter credebatur, innumerabilium stellarum acervum esse Galilæus contendit. Ne vero indigesta moles videtur tanta stellarum multitudo, eas in *Constellationes* seu *Asterismos* dividere placuit, quæ scilicet situ suo imaginem aliquam præferunt, ut Librae, Arietis, Virginis, Tauri, Ursæ, Leonis &c. Movenientur autem fixæ alieno quidem motu ab ortu in occasum giganteis quasi passibus, proprio ab occasu in ortum tam testudineo gressu, ut ad unicam periodum absolvendam triginta sex annorum millibus, si Ptolomæo eredimus, secundum opinionem vero aliorum temporis paullo minoris itinere indigeant; unde merito hic siderum circuitus *Magnus Annus* a Platone fuit nuncupatus. Alterum cœlum nempe *Planetarium* oecupant Errantia sidera, inter quæ eminet sol, magnus ille mundi oculus & astrorum Princeps, cui naturam igneam passim tribuunt. Nam corpus ejusdem helioscopiis exploratum maris eujusdam ardentis imaginem refert, ebullientibus flamarum fluctibus agitati, & emergentibus hinc inde fumosis nubibus distincti. Facies quidem soli perquam amœna & lucidissima, non tamen maculis caret, quas Christophorus Scheinerus S.J. anno 1611. detexit: ha-

rum

rum magnitudo & numerus varius esse solet: motus vero solis motum æmularunt. Plerumque per medium ut ajunt discum prope illius eclipticam incedunt: extra illum nunquam oculis patent etiam armatis. Interdum maculæ in faculas abeunt, & quæ prius umbra, nunc luce se distinguunt. Quid sint, adhuc sub judece lis est: quidam stellulas esse credunt nunc congregatas, nunc dissipatas: alii vapores, fuligines & nebulas esse volunt e solari oceano egressas. Non raro eclipsin patitur grande hoc sidus, nempe tunc, quando sol & luna in eadem eclipticæ parte velut in itinere sibi occurruunt, atque illum inter & oculum nostrum luna interponitur, impeditque corporis sui objectu, quo minus benefici hujus sideris radii ad nos perveniant. Cætera magnitudine sua globum terrestrem superat, si Tychonis calculum sequi placeat 140., si Riccioli 38600. vicibus, si Copernicanos, vix non uno milione. Motus triplex adparet, *diurnus* seu communis ab ore ad occasum, *annuus*, ab occasu ad ortum, *semenstralis* seu *tibrationis*, quo declinat a septentrione in austrum, & ab auctro in septentrionem: re ipsa unicus est, qui spiram imitatur.

Post solem luna se maxime conspicuam præbet mortalibus, quam Antiqui teste Plutarcho *cælestem terram* nuncuparunt, quæ res forsan temerariæ Neotericorum quorundam opinioni ansam dedit, ut eam (idem asserunt de aliis planetis) non solum agris, silvis & oppidis plenam, sed etiam animalibus & hominibus habitatam fingere ausi fuerint sine testibus, sine tabulis, nescio quam lunarem rem publicam in cerebro suo fabricantes. Melius alii lunam e terra & aqua compositam arbitrantur. Nam solidas partes esse in hoc corpore convincunt facile prominentia quædam instar montium fastigia, & depressa in valles loca, quum per telescopia lunæ superficiem sensim illuminari videamus, non secus ac in globo nostro terrestri a phœbo oriente prima luce pinguntur alta montium, dein etiam profunda vallium: fluidas quoque partes reperiri suadent maculæ grandiores, quæ lunam distungunt, velut terram flumina, lacus & maria. Has Helvilius 550, Grimaldus vero 600. numerant, quorum posterior Aronomorum celebrium nomina ipsis imposuit: prior urbium, montium, marium ac regionum, quæ magis in terris nostris celebrantur. Pro diverso autem solis aspectu diversa est

est lunæ facies, nunc *plena*, quando nimurum a sole opposito dlmidia pars illa globi lunaris, qua nos respicit, tota illuminatur, diciturque tunc esse *plenilunium*: nunc *gibbosa* quatuor ante & post lunam plenam diebus: modo *diniadiata*, quod si contingat post lunam novam, dicitur esse *prima quadratura*, si post plenam, *quadratura ultima*: modo *falcata* seu *cornuta*, quando majorem faciei radiantis partem ab oculis nostris avertit. Denique *Nova*, ubi vnlatum suum tenebris involutum nobis obvertit, vocaturque *novilunium*. Hæ lucis & umbræ vicissitudines *phasæ* seu *ætates* lunæ appellantur. Non minus luna frequentes eclipses patitur, scilicet quum tempore *plenilunii* terra lunam inter & solem media consistit, solisque radios illi destinatos sui corporis objectu intercipit; tum enim oppositum terræ semispherium umbram spargit *conicam*, eaque lunam transeuntem vel totam vel ejusdem partem aliquam involvit.

Inter reliquos planetas Saturnus eminent, quinque stellis minoribus tanquam satellitibus perpetuo ejus latus stipantibus, quæ ab Hugenio & Cassino determinatae circa illum gyrantur: pallida illi facies, lucidus tamen annulus modo plus modo

modo minus explicatus medium ambit corpus. Triginta fere annorum lapsu periodum suam absolvit. infestum hominibus sidus hoc creditur: benignius vero Jupiter. Ternæ istius globum zonæ seu fasciæ distinguunt, reliquis partibus obscuriores: quatuor vero stellæ Jovem velut Regem suum comitantur, a Galilæo in honorem Magni ducis Florentini *fidea* *Medicea* nuncupatæ: duodecim cœliter annorum spatio cœlestè iter suum absolvit. Martem a reliquis planetis distinguit tum macula in medio ejus corpore spectandam se præbens, quam *Martis umbonem* vocant, tum color rubeus, ardenti carboni non absimilis, annisque ferre duobus orbitam suam percurrit. Venus modo supra modo infra solem emicat. quum mane sequentem præcedit, Phosphorus seu Lucifer, quum vero vespera præeuntem sequitur, Hesperus vocatur. Varias non minus ac luna phases pro solis, cui famulatur, arbitrio patitur, jam falcata, jam gibbosa, jam vacua instar maculæ adparet, semitamque circa solem sibi præfixam secundum Riccioli calculum diebus 583. Keppleri autem 224. absolvit. Demum qui proximus circa solem movetur, Mercurius est, de quo Ricciolus testatur, observatum a se sidus

fidus istud, quando sub solem se demisit, *cornutum*, dum vero ascendit, *gibbosum*, tandem *rotundum*. Tota ejus per orbitam via ab eodem Ricciolo 115. a Kepplero 87. dierum spatio definitur. Felices Astronomi se credunt, quibus suam quandoque faciem indulget hic planeta; nam maximo anni tempore soli vicinior sub ejus radiis absconditus latet, quin etiam æstatis tempore hybernari videtur.

Atque ista quæ de triplici mundo *subterraneo*, *sublunari* ac *cœlesti* hucusque commemoravi, operæ pretium esse censeo, ut post Logicam statim instar Proæmii cujusdam Physicæ Candidatis brevi calamo explanentur, & per adjectas imagines ante oculos ponantur: nec absque magno emolumento id fiet, tum ut a Logicæ spinis avulsi in amœnos Physicæ campos velut Elysios quamprimum deducantur, ac tedium, si quod anterior disciplina adulit, ipso in limine abstergatur; tum ut rerum quæ in Phyfica deinceps tractantur, pulcherrimarum promulside quadam deliniti alacriore animo ad arcana naturæ vestiganda accedant, tum ut cunctis in synopsi prius perspectis planior ac ordinatior via pateat doctrinæ, per singula postmodum curatius ac prolixius ituræ.

## §. II.

*Physica universalis.*

## XXI.

**P**hysica, quam *universalem* dicunt, complectitur eas quæstiones, in quibus principia corporis *naturalis* omnibus communia, tum eorundem qualitates seu affectiones: *divisibilitas, porositas, rarefactio & condensatio, motus, gravitas, elasticitas, aequilibrium solidorum & liquidorum, ac electricitas ad trutinam & rationis & experimentorum examinantur.* Ad prima quod adtinet principia, res est omnium difficillima certi quidquam statuere, quum tot sint opiniones Philosophorum, quot capita & ingenia, quorum *opiniones*, ut ait Cicero, cum tam variae sint, tamque inter se dissidentes, alterum fieri non potest, ut plus una vera sit. Certe nullum fuit elementum, quod non ex antiquis Philosophis patronum habuit, ut ad officium materiæ primæ promoveretur. Thales Milesius aquam elegit, forte quia facilis est ad quamvis figuram & formam admittendam: Anaximeni standum potius pro aere videbatur, utpote adhuc faciliore ad formas quasque recipiendas. Heraclitus Ephesinus igni hunc ho-

honorem vendicabat, utpote subtiliori ac fluidiori, quam sit terra, aqua & aér. Neque terræ patroni defuerunt, inter quos Democritus & Epicurus, qui cuncta ex minimis atomis componi asserebant. Empedocles liberalior fuit, & omnia quatuor elementa in materiæ primæ consortium adscivit. Non minor erat circa formam lis & pugna sophorum, aliquibus eam a materia aliud quid esse distinctum contendentibus, aliis vero eandem esse rem ac virtutem materiæ congenitam afferentibus. Aristoteles vero naturæ vestigator acerrimus, primus tria corporum principia distinxit, scilicet *materiam, formam & privationem*: nulla enim res in alteram transmutari potest, si non abeunti uni formæ in materia remanente succedat alia, id quod exigit necessario *privationem*, seu absentiam formæ illius, quæ primum adventat; & hac ratione magnus ille Philosophus nobilissimam quandam & generalem ideam nobis suppeditavit rei, quæ in omnibus mutationibus per totum naturæ ambitum contingentibus accidere solet. Ita in principiis constituendis pridem Veteres Philosophi in diversas abivere partes. Postremis autem temporibus quidam seputas diu Antiquorum doctrinas inter se tan-

topere pugnantes velut postliminio revo-  
carunt, & crassis erroribus expunctis ele-  
gantiori veste indutas in Philosophiam  
suam invexerunt, magnoque plausu orbi  
literato vendiderunt. Præ reliquis enim  
Democriti & Epicuri atomis veluti va-  
gis, nunc meliorem in formam redactis,  
tanquam ex materia primigenia cuncta  
componi juncta opera docuerunt Gassen-  
dus & Cartesius, quamvis in aliis non  
paucis inter se diffideant: formæ autem  
munus diversissimæ illarum secundum si-  
guram, subtilitatem & magnitudinem ac  
motum conjunctioni, quam *combinatio-*  
*nem* vocant, imposuerunt. At Honora-  
tus Fabri S. J. & Emmanuel Magnanus  
Ordin. Minim. duo magna Philosophiæ  
lumina Empedochis sistema a vitiis, qui-  
bus scatebat, expurgatum resuscitarunt,  
docentes omnia corpora in sensu physico  
accepta (in hoc enim sunt *objectum Physiæ*) primo e minimis elementaribus com-  
poni, quum in omni generatione ac *cor-*  
*ruptione* adsint elementa, cunctaque cor-  
pora ultimo in ea physice resolvantur:  
nec propterea Aristotelis doctrinam re-  
pudiare, sed potius illustrare se crede-  
bant, quum hic ipse elementum finierit,  
*quod fit id, in quod cætera corpora di-*  
*viduntur, ipsum autem est indivisible in*  
*diver-*

*diversa secundum speciem.* Autumant igitur, Philosophum in sensu quodam metaphysico, non physico, locutum fuisse ad res ac rerum proprietates distincte explicandas, ac mere per intellectum inter materiam & formam, tanquam *substanzias incompletas* distinxisse, concipiendo ista minima *elementaria* per modum materiæ, earundem vero virtutem & *actitatem*, quam produnt per diversos effetus in mixtis corporibus, ipsis *identificatam* per modum formæ. Hæc opinio non paucos viros doctos etiam hodie patronos numerat, dum contra Peripatetici mordicus inhærent suæ, quam ex Aristotele de primis corporum principiis hauferunt, sententiæ. Atque ex his facile patet, in ipso statim Physices limine aquam hærere nobis, dum prima ignoramus naturæ fœcundissimæ rerum parentis principia. Quare fallunt ii, qui vendere volunt pro scientia id, quod non est nisi opinio, & pro veritate, quod duntaxat verosimile est : neque amplius quid ipsi Authores primi hac in re salebrosa sibi arrogarunt. Praeclare ait Seneca (h) : *Naturæ arcana non promiscue nec omnibus patent, in interiora sacra-*

rio

(h) *Quæst. nat. lib. 7.*

BIBLIOTH. DOMEST. LIB. VIII.

F

*rio clausa sunt, ex quibus aliud hæc ætas, aliud quæ post nos subit, aspiciet.* Et Aristoteles ipse (i): *Difficillima profectio hominibus cognita sunt ea, quæ maxime universalia sunt, siquidem remotissima a sensibus.*

His itaque intra opinionis sphæram relictis Physicus ad corporum qualitates & affectiones pergit eo tidentius, quo magis patent sensibus nostris. Quamvis enim remotissima illa rerum primordia vel nondum cognita sint, vel accurate finita non fuerint, res tamen ipse *naturales*, ac plurima quæ in ipsis observantur, optime intelligi ac explicari possunt, quoniam per effectus suos sese produnt, quamvis quid rei sint, in utramque partem multis disceptetur, ut videbimus. *Divisibilitas* quam certa dos est corporis, tam mysterio plena, & litibus obnoxia: Thales, Pythagoras & Aristoteles corpus aliquod extensum ita dividi semper posse existimabant, ut nunquam repere sit partem adeo minutam, quæ ultra dividi nequeat: contra Zeno, Democritus & Epicurus censebant divisionem corporis certos habere terminos, quos egredi nefas foret, atque ita in atomis seu punctis quibusdam *indivisi- libus*

(i) *Metaph. 3. cap. ix.*

libus tandem quiescendum esse: unde famosa puncta Zenonis. Porositatis ingens est in naturæ regno utilitas, immo necessitas, innumeris comprobata experimentis, ita ut e Recentioribus vix ullus sit, qui non afferat corpora omnia, quantumvis densa & solida, poris seu meatus tibus esse instructa, per quos effluvia sua emittant, vel aliena in sinum suum recipiant: *Rarefactio & condensatio*, quæ continua & reciproca serie in hac rerum universitate velut per gyrum circuit, communis corporum affectio est, qua in re duplex inter Recentiores viget opinio, aliquibus cum Gassendo sentientibus in rarefactione partes corporis a se invicem nunc plus nunc minus recedere, vacuis quibusdam spatiis inter eas relictis, quæ vice versa in condensatione plus minusve ad se invicem coarctantur: aliis cum Cartesio docentibus rarefactionem fieri, dum dilatantur pori corporis, & materia subtilis intromittitur, condensationem vero, dum ea egreditur & pori constringuntur: prima caloris, altera frigoris ope contingit; alii vero farefieri corpora volunt, quando inter poros latens aer, utpote qui elasticus est, & instar laminæ chalybeæ se expandendi virtute gaudet, eosdem poros ipsumque corpus

magis magisque dilatare incipit, quod fit, si ab aere exteriore minus fortis ambiatur: quod si vero hic fortior evadat, interior constringitur, atque ita per concidunt, & corpus ipsum condensari dicitur. Sequitur *Motus*, qui locum tenet inter præcipuas corporis physici affectiones. Hujus scientiam a Philosophis passim & diu neglectam excitavit potissimum Galilæus, tum quoque Gassendus, Cartesius, Newtonus, cæterique qui Physicam cum Matheseos studio non infelici fædere conjunxerunt. Inquiritur heic in motus *quantitatem*, quæ desumitur tum ex mole corporis tum ex velocitate, qua movetur: *determinatio* motus seu *directio* corporis mobilis in unam potius quam in aliam partem: explicatur motus *compositus*, quando scilicet duæ vel plures cauſæ unum idemque corpus mobile in diversas partes nituntur impellere: *directus*, quo corpus mobile via non interrupta tendit ad terminum, in quem a potentia impellente dirigitur: *reflexus*, quo occurrente alio corpore, quod penetrare non valet, iter suum interumpit, & vel ad eam partem, a qua primo recessit, vel oblique in alias partes regreditur: *refractus*, si in aliud corpus inæqualis resistenter vel densitatis, quod

quod penetrare quidem potest, incurrens aliam motus determinationem acquirit, perque aliam viam cursum suum prosequitur. Porro expenduntur caussæ diversorum motuum, præcipue in corporibus projectis: *acceleratio* motus in descensu gravium, & motus pendulorum. Denique statuuntur diversæ leges pro variis corporum motibus, & experimentis plurimis illustrantur. De qualitate, quam vocant Philosophi *Gravitatem* corporum, ac *gravitationem*, sedulo investigant originem & principium, an scilicet intra ipsum corpus vel extra illud inveniatur: Gassendus existimat, gravium decensum oriri ab atomis quibusdam *hamatis* & *uncinatis*, quibus e centro terræ jugiter emissis corpora in aere pensilia abripiantur, veluti vi qudam *magnetica*: Cartesius subtilis materiæ ab occidente in orientem *vorticoso* quodam motu celerrime circa terram actæ impetu velut turbine ad terræ centrum impelli, urgerique auctumat. Newtonus ut gravium descensum explicet, vim quandam *attractivam* telluri inditam esse credit, quam ipsa in omnia corpora terrestria magno cum dominatu exerceat: aliqui ad auræ æthereæ, a peripheria mundi ad terræ centrum rapidissime agitatæ, motum con-

fugiunt, quo gravia ad illud secundum lineam rectam deferri existimant. alii denique in ipsa corporum natura hujusmodi principium residere credunt. Non minor affectio corporis est *Elasticitas*, cuius vis in eo sita est, ut corpora postquam compressa fuerint, & ad minus spatium redacta, si suo relinquantur genio, in pristinam figuram & situm restituat. Elaterii caussæ quam veteribus absconditæ, tam Recentioribus dignæ furent visæ ut in lucem protraherentur. Quidam in ipsa natura & sinu corporum primam radicem virtutis hujus contineri volunt: verum alii censem elaterium ori ri a motu, impulsu & pressione subtilissimæ ac fluidissimæ materiae poros corporum replentis, quæ illa quaqua versum distendit, & vi quadam permeat. Effe ctus vero elasticæ virtutis sane stupendi in laminis chalybeis, in pulvere pyrio, in aere inveniuntur, explicanturque, ac simil leges motui in corporibus elasticis sibi occurribus atque inter se collisis statuuntur. Ab hac qualitate ad *Aequilibrium solidorum & liquidorum* transire juvat. Materia hæc experimentorum feracissima est, quæ cum ingenti Philosophiae naturalis emolumento nostris potissimum temporibus inventa fuerunt ope scien-

scientiæ staticæ & artis mechanicæ. Describuntur heic magna cum utilitate primo machinæ tum geostaticæ, uti librae & statera, vectis, axis in peritrochlio, trochlea, rotæ dentatæ, planum inclinatum, cochlea & cuneus: tum hydrostaticæ, quemadmodum tubi vitrei communi-cantes ad liquidorum gravitatem explorandam, aliaque vasa ad corporum solidorum, quæ fluidis immerguntur, librationem deprehendendam facta: Tum ad principia Staticæ ac Hydrostaticæ, legesque æquilibrii descenditur, quæ variis experimentis stabiliri solent: denique deteguntur causæ ac effectus plane mirabiles, quibus tota de Æquilibrio doctrina illustratur. Verum his corporum dotibus hucusque recensitis præstare videtur Electricitas seu vis electrica, quæ rite excitata alia etiam corpora remota adtrahuntur & repelluntur, simulque lumen ac flammulæ sparguntur; quæ res hodie omnium ore circumfertur, & non sine stupore pariter ac voluptate maxima spectanda exhibetur. Doctrinæ autem ordo esse solet, ut initio machina electrica, & instrumenta ad eam pertinen-tia, atque usus explicetur: postmodum ut effectus adtractionis & repulsionis, item experimenta lucis & ignis electrici,

ac communicationis diffussionisque in longissima spatia explanentur: demum ut in caussam effectuum istorum nondum sat tis perspectam inquiratur, quam alii subtilissimo ætheri nunc affluent nunc refluunt, alii vero fluidissimæ cuidam materiæ electricæ per frictionem excitatae gravibus utrinque rationum momentis in medium adductis tribuunt. Grande autem inter utramque sententiam est discrimen: in prima enim dispensaretur vis electrica a corpore electrico, seu vitro agitato per alia corpora in partem anteriorem maximo etiam spatio: in altera vero versus corpus electricum latens in corporibus vicinis materies retrorsum propelleretur, ita ut prioris sententiae patrini velut ab ortu in occasum, posterioris vero ab occasu ad ortum progrediantur.

Cæterum aliæ corporum affectiones sunt, quas Peripatetici *Accidentia & Qualitates* vocant, de quarum natura & indeole ingens bellum a multo tempore inter ipsos & Atomistas exarsit, vix aliquando finiendum. Distinguunt enim Peripatetici inter accidens *absolutum & modale*. Illud esse dicunt, quod *subjecto* quidem inhæret, ita tamen, ut sine eo existere altiore saltem virtute possit: hoc autem, quod ita a *subjecto* quod afficit,

depen-

dependet, ut ne quidem absque ipso concipi queat, aut existere quacunque demum ratione ac potentia. Contra Atomistæ omne accidens absolutum e mundo proscriptum volunt, omniaque nil nisi meras rerum *modificationes* esse contendunt. Peripatetici causam suam defendant argumentis ex Eucharistiæ mysterio secundum Patrum & Conciliorum placita explicato depromtis: an solide satiis ac luculenter, spondere non ausim. Atomistæ metientes cuncta ad physicarum & naturalium rationum regulam figmentis accensent hujusmodi accidentia. Verum audiant hi Cartesium, quem tanto-pere depereunt, in Medit. p. 88. Amstelodam. edit. ita loquentem: *Sunt diversi gradus realitatis sive entitatis. Nam substantia plus habet realitatis, quam accidens vel modus.* Qua in re sane concordat cum Aristotele, & velut ex ejus ore verba sua depromit. Quippe Aristoteles, uti ex græco textu demonstrat ILLustr. Marchio Scipio Maffeus, scriptor tam ætate nostra inter Eruditos omnium ore celebris, quam minime de partium studio suspectus (in Disquisit. de doctr. Aristot.) nequit negavit accidens esse ens quoddam, sed distinxit inter ens *simpliciter* & *primario*, quod vocat substantiam,

tiam, & inter ens velut secundario & quod accidit. Audiant Wolfium, quem adeo extollunt. Hic in Ontologia sua: *Modus*, ait, a nobis dicitur, scholastici accidentis appellant. Et alibi: attributa & modi sunt accidentia. Clarissime vero idem Wolfius mentem suam explicat in epistola, propria manu exarata ad P. D. Ulysssem Contium de Calpio Canonicum Lateranensem, curantem Veronæ editionem novam ejus Matheoseos. Recitat verba epistolæ citatus Massejus sequentia: *Virtutes & vitia cum sint habitus agendi, de iisdem valet, quod de habitu in genere. Importat is facilitatem, quæ cum sit aliquid animæ inbærens, ideoque aliquid, quod actu existit (puto enim accidentia quod existant, negare neminem) ecur entitates dici non possint?* Et paucum post: *Habent enim non minus accidentia quam substantiæ suam essentiam, quatenus actu inbærent substantiis.* En! subjungit Massejus, quanto minus communis opinione absint ab Aristotele, qui maxime creduntur Neoterici. Porro ad illud nescio quid respondeant, si queratur ex ipsis, quid sit vis illa, quam *impetum & motum* vocamus, an substantia, vel accidentis, & quale illud? tacet heic Wolfius, nil audet decidere Muschenbroeckius. Hic post-

postquam transire vim illam ex corpore in corpus, quum hoc incipit moveri, pluribus rationibus ostendit, ita demum concludit (k): *An igitur vis est ens Physicum? aut substantia sui generis? quomodo inhaeret corporibus? quomodo operatur, ut ea moveat? quomodo transfunditur? an secundum alios est idea primum generata in mente intelligente, dein communicata corporibus, atque ex uno in aliud transiens? nihil horum omnino clare intelligi aut rite demonstrari potest.* præstat igitur ignorantiam confiteri. Illud satis mirari non possum, cur quidam dictatoria potestate silentium circa controversiam hanc Peripato imponere velint. Quærenda ubique veritas est, ex quocunque demum fonte hauriatur. Si ex Philosophicis placitis non possit, cur fontem Conciliorum & Patrum velut Corinthum adire non liceat? At æquis oculis utramque opinionem aspicit Ecclesia: bene. sententiam Atomistarum non damnat Ecclesia: eam quæ Peripateticorum est, multis retro seculis amplexata est, nec repudiat etiamnum: cur ergo hac posteriore cogatur supersedere Philosopher?

§. III.

(k) *Instit. Phys. cap. 4.*

## §. III.

*Physica Particularis.*

## XXII.

*Mundi genesis & systemata, ac corpora cœlestia.*

Postquam circa corpus *naturale* universum, atque illius principia, proprietates & affectiones, quæ omnibus vel fere omnibus communes esse solent, Philosophia bene ordinata docendo disputandoque versata est, ad singulas corporum species considerandas ac examinandas faciliori amoenioreque methodo progreditur; inde pars ista Philosophiæ *Physicæ Particularis* nomen obtinuit. Quum vero quædam corpora sint vitæ expertia, quædam viventia, agitur primo loco de illis, & quidem præmissa mundi *genesis* ac *systemate*, de cœlestibus corporibus seu stellis tum fixis tum errantibus, *Elementis* & *Meteoris*, deque aliis vel in globi terrauei superficie positis vel intus latentibus: Secundo autem de plantis, de animantibus, de corpore humano ejusque facultatibus, vitali, naturali & animali.

Ad mundi genesin quod attinet breviter ante oculos & animum ponuntur

tur opera sex dierum, intra quos Deum condidisse mundum universum docet S. Scriptura, quæ quid quovis die creatum productumque fuerit, satis clare commemorat. Præterea unicum esse mundum, & in genere suo perfectum, insuper habita elementorum discordia & rerum vicissitudine ostenditur: explicantur varia eruditionis plena circa tempus mundi tum quo conditus est, tum quo duraturus sit, & qua ratione innovandus erit: an sine angelis & hominibus produci potuisset. Adjiciuntur quædam de magnitudine telluris, mole ac figura, de qua postrema num sphærica sit, nec ne, hisce temporibus notissima est controversia post observationes ab Astronomis & Geometris Parisiensibus utroque Cassino, de la Hierio, Meraldo, Kupleto & Maupertuisio maximis laborum & itinerum impensis factas. Hi tellurem non omnino rotunda & sphærica præditam esse figura fidenter asserunt, sed sphæroidica. Quum vero sphæroidem hanc alii circa polos compressam, sub æquatore elatam ac turgentem ad modum cepæ: alii potius oblongam sive ad instar ovi ad polos productam, & sub æquatore depresso esse contendant, variantibus & observationibus & sententiis tellus & sphæricæ

ricæ figuræ tam antiqua possessione de-  
turbari haud debere videtur, donec lu-  
culentiota pro sphæroide argumenta in  
medium adferantur. Jam vero diversa  
*Mundi systemata* occurunt a viris docti-  
simis excogitata, quorum celebriora in  
scholis seu Astronomicis seu Physicis sunt  
*Ptolomaicum*, *Copernicanum* & *Tycho-  
nicum*, a suo quodque inventore aut  
cultore ita nuncupatum. Primum seu  
*Ptolomaicum* in multis manifeste contra-  
rium & physicis & astronomicis legibus  
nemo jam tueri potest. *Copernicanum*  
expeditum, & explicandis siderum mo-  
tibus eorumque phænomenis valde ac-  
comodatum ac naturæ simplicitati per-  
quam conforme tanquam *hypothesis* de-  
fendi potest, non autem in *thesi*, quo-  
niā S. Scripturæ sensu, quem Litera-  
iem vocamus, ac testimoniis de motu  
solis & telluris quiete, si accurate & sine  
partium studio res expendatur, non est  
consentiens, quemadmodum ipsi corda-  
tores Heterodoxi fatentur, qua de re  
plura decebit Mathesis. *Tybonicum* li-  
cet impeditum & motibus, orbitis pla-  
netarum, centris circumferendis, ac ano-  
maliis difficulter explicandis obnoxium,  
quum tamen phænomenis & Physicæ le-  
gibus neutiquam repugnet, sacri vero  
Co-

Codicis effatis plene concordet secundum mentem omnium Interpretum, statuentium *in sacris Literis exponendis non esse ab obvio proprioque sensu recedendum, nisi evidens ratio nos cogat*, Copernicano præhabendum ac omnino tuerendum est.

Mox rejecta cœlorum soliditate, quam vetus systema perperam afferuit; & cœlestibus spatiis, per quæ sidera iter suum prosequuntur, tenuissimo fluidissimoque æthere repletis ad stellarum *Fixarum* naturam, numerum, magnitudinem, distantiam, motum & scintillationem asserta illis propria luce progreditur Physica, & *Errantium* contemplationi se impedit. Sed de his jam egimus in Capite quarto, §. I. de Prolegomenis Physicæ Num. XX. Supereft, ut aliqua dicamus de Planetarum incolis, de Cometis, atque de causa motus, quo globi siderei circumaguntur, deque illorum in terram *influxu*, ut appellant. Vetus fuit Platoniorum ac Pythagoreorum seu opinio seu fabula teste Plutarcho (l), suscitata postmodum a Purpurato Praesule Cusano (m) auctaque a Cartesio, Kepplerio, Hugenio, Wilckins & Wolfio, aliis.

(l) *De placit. Phil. lib. 2. c. 30.* (m) *Lib. 2. de doct. ignor. c. 11.*

aliisque, planetas non solum montibus, vallibus, maribus & flaviis abundare, sed plantis etiam, brutis & hominibus habitari. Ad quid enim globi tam grandes, tam vasti, si careant incolis? cur terricolas solum civitate donemus, & locum Lunicolis, Jovicolis, Saturni colis non concedamus? Referunt quidam omnia, quæ ibi aguntur, tam distincte, ac si Mercurius aliquis delapsus cuncta illos docuisset, aut ipsi per novos illos mundos peregrinati fuissent. Verum scripturæ contraria hæc opinio esse videtur. Nam *ex uno* (nempe Adamo) *omne genus humanum inhabitare super universam faciem terræ* Apostolus testatur (n). Et quamvis potuisset Deus ex filiis Adami eo transferre aliquos (sicut transluit Henoch & Eliam in regionem hactenus ignotam) qui speciem suam propagarent per Lunam, alios qui per Jovem &c. aptando ipsis indolem domicilio suo convenientem, temerarium tamen esse videtur contra omnium persuasionem asserere rem, nec ratione nec indicio fundatam. Certior est cometarum seu genesis seu circuitus, quorum aliqui barbam prætendunt, alii caudam post se trahunt, quidam crinibus conspicuos se

præ-

præbent. De his tamen varia est & Veterum Philosophorum & Recentiorum opinio. Peripatatici cum Aristotele (o) Cometam nihil aliud esse contendebant, quam terrestres exhalationes, quæ aut in genito telluris calore aut solaribus radiis in supremam aeris regionem eiecæ & ab iisdem accensæ, sideris in morem effulgeant. Anaxagoras & Metrodorus cum Stoicis docebant Cometas esse cœlestia corpora, supra lunam in æthereis plagiis habilitare solita, & e vaporibus & exhalationibus, quæ non e terræ globo, sed e sole cæterisque planetis jugiter affluunt, atque in unam veluti massam conglobantur: tum vero vel a sole vel ab igneis spiritibus in sinu contentis subito accenduntur, cui sententiæ multi hac etiam ætate cum Kepplerio & Hevelio subscribunt. At cum Pythagoreis Seneca, & cum hoc Cassinus, Newthonus, Whistonus & Bernoulius aliique permulti Cometas existimant esse corpora cœlestia in mundo coæva, planetarum instar constanti periodo peculiares orbitas describentia, quæ cursu suo post certa lustra redeunte mortalium conspectui denuo se fiant: quæ opinio splendida ad sensum sine

(o) Lib. I. Meteorol.

sine dubio mereretur, si auguria & calculi suffragium eidem tulissent. Æque ambigua est causa motus, quo sidera ipsa vel circa terram vel circa solem feruntur. Quidam vim hanc illis inesse credunt; quum enim corpora gravia terrestria principium in se contineant a Deo inditum, quo libere versus centrum terræ moveantur (ut ipsi docent) quid mirum si cœlestia corpora virtutem sibi cognatam ab eodem Deo acceperint, per quam aut circa solem, aut circa centrum terræ rotentur? Alii vero cum Cartesio censem, planetas circa solem volvi & revolvi ab ejusdem vortice, cui sunt immersi & velut innatant in gyrum acti: multi tamen complectuntur Newthoni systema, voluntque duplicem singulis planetis vim inesse, unam *centripetam* ab ætheris circumfusi impulsibus ad sua centra deprimentibus ortam, alteram *centrifugam*, quæ per motum habetur, quem Deus recens conditis impressit; non secus ac lapis in funda circumactus, dum motu suo projectio continuo a centro recedere conatur, funiculo autem iterum retractus, ne avolet, circumlum describit. Postremo loco de sidereum virtute, quam influendo in terram exercent, agendum est. Multa nobis hoc

in negotio veteres velut ex tripode prouunciarunt, non pauca etiamnum occidunt Philosophi & Astrologi: lunam esse humidam, saturnum frigidum, martem siccum & calidum, alia astra aliis affectionibus praedita esse, similesque in corporibus infra se in terra positis excitare, quin & in plantis ac animalibus pro sua quodque indole dominari. Crevit cum tempore licentia fingendi ac praedicendi res futuras, ut imbre, serenitatem, ventos, procellas, ubertatem & penuriam, pestem, famem & similia: & quod absurdius, hominum sortes Deo soli cognitas, & a libero arbitrio unice pendentes, unde ars astrologiae nata est; horoscopi coeperunt erigi, inspici manus, & nugae nugarum credulis & rudibus liberalissime vendi. Verum hodierna cautior & castior est Philosophia. Quæ olim stellarum fixarum situi, ac planetarum aspectibus tribuebantur, modo praesentibus in aere phænomenis, vaporibus & exhalationibus terræ, ac latentibus intra viscera caussis adscribuntur. Soli tanquam sideri omnium maxime benefico vires vendi totam naturam, promovendi generationes, accretiones, tempestatum vicissitudines &c. nemo est, qui negare ausit, & quidem lucis & caloris ope velut

luit propriis instrumentis hæc effici arbitrantur. Lunæ modicam, si mare cui dominatur excipias, vim concedunt, quum precario vivat, & quidquid luminis vel caloris habet, a sole mutuetur. Reliquis autem planetis & stellis vix quam potestatis & virtutis in terrestria corpora adstruunt vel ob lucis propriæ penuriam, vel ob altitudinem, distractio nemque radiorum nimiam.

## XXIII.

*Elementum aeris.*

Jam vero de *Elementis & Meteoris* plurimus Philosophis sermo est, nec minores inter ipsos lites vigent. Ex elementis in hoc, quem incolimus, terrarum orbe nullum humanis oculis patet simplex, purum ac sincerum, sed omnia sub aliquo velut schemate & involucro delitescunt: aer quidem sub exhalationibus & vaporibus; aqua sub nitrosis, salinis ac viscidis humoribus: ignis per lucem obscuram aliasque materias ad comburendum aptas conspicuum se præbet & purum se non esse probat relicto post se fumo: terra permixta est sale, sulphure ac metallis; ita ut provida mater natura rerum principia velut sinu suo absconde

disse videatur, nec palam prostare passa fuisse, vel ne sibi perirent, vel ut ad ea indaganda magis accenderetur humana industria. Est autem aer elementum fluidum & spirabile, uti diffiniunt Philosophi. Fluidum adpellatur, quia particulas, quacunque demum figura praeditas, continet admodum raras, solutas, & ad omnem motum expeditas, quas mira facultas omnia permeandi comitatur. Quid enim adeo solicite exacteque potest occulti, quin aer subeat, seque insinuet? Certe in Antliis pneumaticis recipientium vasorum colla, ora, limbis quantumcunque limo ac glutine obturentur, apparatus hic omnis prohibere non potest, quin exiguo temporis intervallo aliquid aeris furtive irrepatur: prodit hanc quoque penetrandi vim sonus, qui ab aere per angustissimas rimas in intima conclave penetralia celerrime diffuso, ac per tenuissimos meatus acusticos in auris cochleam delato efficitur. Spirabile vero elementum dicitur aer, quoniam ab illius inspiratione alternis vicibus continuata pendet animalis vita, & in officina cordis spiritus, quos vitales nuncupamus, velut animantur, non secus ac ignis in officina ferraria a foliibus perputuo agitatis. Sunt enim pulmones, qui ex in-

numeris vesiculis per microscopium detectis componuntur, quasi folles quidam vitales, quibus laxatis aer per asperam arteriam subit, & in cordis sinus penetrans illius æstum temperat, subtilissimis spiritibus elaborandis inservit, ac sanguinis motum perennem promovet; quodsi autem pulmones contrahantur, per eandem qua ingressus est viam, residuus aer remeare cogitur, ut alius denuo hauri queat, & sic recentes semper suppetantur animalis vita conservanda. Quantumvis autem fluidum sit & subtile hoc elementum, alia tamen purior quædam & subtilior ipso aere *substantia* est admittenda, quam ætherem seu materialm subtilem adpellamus, utpote sine qua motus, vis elastica, & gravitas tum aeris ipsius tum aliorum corporum, luminis propagatio, aliaque sexcenta naturæ phænomena & miri effectus explicari satis non possunt. Hæc per immensa cœlorum spatia diffunditur, & usque ad Universi hujus centrum expansa pervadit quæque corpora ambit & penetrat, atque perpetuo in motu versatur, immo motuum fere omnium origo & mundi anima est. Sed ad aerem redeamus. Inolevit opinio quorundam, quorum alii elementum istud calidum & sicum,

cum; contra alii frigidum & humidum esse contendunt; melius autem sentire illi videntur, qui spectata natura illius ad has affectiones indifferens esse judicant, neque temere. Nam e reliquis elementis hoc elegit sapientissimus mundi Artifex, ut esset medium commune, ac velut emporium, ubi commercium exiceret perpetuum terra & cœlum, illa per effuvia, istud per fluxus corporum suorum: ut autem tale medium commune foret, neutrarum quasi partium esse oportebat aerem, aptumque ut in se reciperet modo frigus, modo calorem &c. pro diversitate evaporacionum & exhalationum, proque varia harum temperie nunc humore irrigaretur, modo siccitate aresceret. Certe in eadem regione, eodemque sub Jove diversis anni temporibus humana corpora his quatuor qualitatibus obnoxia sunt, sentiuntque se vel maxime affici. Num propterea omnes quatuor aeris naturæ tribuendas esse censemus? Ad has autem qualitates explorandas serviant duo potissimum instrumenta, nimirum Hygrometrum, quod e chorda vel filo canabino cum indice componitur, notante humoris aut siccitatis gradus: calorem vero vel frigus aeris prodit Thermome-

trum ope liquoris in tubulo vitro conclusi, modo ascendentis, modo descendenteris. Præcipuae vero dotes aeris sunt gravitas, & elasticitas, tot experimentis pulcherrimis prior ævo & nostro comprobatae, qualia sunt, quæ ope Antliæ & Catapultæ pneumaticæ, Æolipilæ, Barometri, Hæmisphæriorum Magdeburgieorum, syringum & siphonum &c. fiunt non minori cum delectatione, quam utilitate. Sed ne præterreamus elementi hujus meteora, quæ sunt secundum vocis suæ etymon *in sublimi adparentia*, eorum materia, unde nascuntur, sunt halitus seu effluvia, quæ si aquæ naturam participant, *vapores*, si vero terræ, *exhalationes* dicuntur. Hæ non adtrahuntur, ut veteres credebant, sed feruntur in sublime, dum in bullulas abeunt aere rarissimo aut spiritibus igneis plenas, & non secus ac ampullæ vitro vacuæ clausæque ab aquis superfusis in vase quodam elevantur, donec ad aerem puriorem & minus compressum evectæ cum illo consistant in *æquilibrio*, ut vocant. Ex his facile intelligitur genesis omnium meteororum, quæ in aeris regno spectanda se præbent, nubium, nivis, pluviae, roris, grandinis, pruinæ, dum nempe bullulæ illæ vel calore solis liquefunt, & in guttas abeunt, vel a ma-

materia calida intus latente rumpuntur, aut a frigida constringuntur ac decidunt in terram, e qua sunt egressæ. Inter alia vero meteora maxime spectabilis est Iris seu arcus multicolor in nube roscida, & opaca a radiis solaribus prius refractis, tum ad oculum reflexis depictus, quod fit, si oculus inter nubem illam & solem constitutus ita sit, ut solem a tergo habeat, ante se vero nubem illam guttulas jugiter manantem. Coloribus superbit quinque, puniceo silicet, flavo, viridi, cœruleo & purpureo. Atque hæc *Iris primaria* vocatur, *secundaria* vero, si prior imaginem sui vicinæ nubi eadem ratione communicat, hoc solo discrimine, quod colores ordine inverso positos exhibeat. Præterea e præcipuis meteorijs aeris, quæ *emphatica* dicuntur, est quoque *Parhelium* & *Paraselene*, quando plures soles aut Lunæ in cœlo micantur, vero sole faciem suam in humida nube multiplicante: Zentivanius sex aliquando soles: sex lunas Lipsiæ conspiciendas se præbuisse testantur Eruditi Lipsienses in actis suis (p). Non minus *Halo*, quem coronam vocant, quandoque circa solem, sappius vero circa lunam

ad-

(p) Ad mens. Febr. 1684.

G 5

adparet, coloribus iridis, obscurioribus tamen superbiens, & fulgentia hæc sidera coronans. Præterire heic nefas est aliud insigne meteorum, quod *lucem* seu *Auroram Borealem* nuncupant, veteribus quidem jam notum, ut Aristoteli, Plinio & Senecæ, sed hoc potissimum seculo accuratioribus præstantissimorum Mathematicorum observationibus illustratum. Est nubes quædam transparens & lumenosa, quæ per longiorem cœli tractum nocturno tempore a plaga Boreali se extendit, & Aurora fulgorem mentitur: aliquando etiam igneum colorem præfert, radiosque admodum longos spargit. Varia est de illius origine & caussa opinio. Nonnulli ex sulphureis exhalationibus in sublimi aere accensis nubem hanc componi existimant: quidam autem a solis aut lunæ radiis, in atmosphæra terræ in tenuissimos ejusdem halitus sursum evectos incidentibus, atque ad oculum nostrum reflexis originem peti debere auctuant: plerique tamen consentiunt, meteorum hoc, uti cætera, in telluris atmosphæra sedem suam figere, ac in ea generari.

## XXIV.

*Elementum ignis.*

Ignis elementorum facile princeps est, ut sol astrorum. Naturam illius & genesis investigare tam arduum est, quam periculosum admoveere ipsi manum. Ex particulis minutissimis, fluidissimis, agiliis, aptissimisque, ut in poros corporum sese insinuent, solvantque mixtorum partes, compositum paucim docent Philosophi. Num vero figuram habeant sphæricam, ut existimat Gassendus, vel instar pyramidis secundum Platonicos, aut filamentorum uti censet Fabri, divinare potius est, quam veritatis metam tangere. Multiplices vero sunt elementi hujus natales. Nam primo ignis ab igne generatur, scilicet ex materia per calorem & siccitatem rite disposita. Secundo oritur ignis e collisis & attritis mutuo corporibus quibusdam, ut si chalybe silicem percutias, ubi velut carcerulis solutæ subtilissimæ scintillulæ qua data porta erumpunt & in vicina materiaflammam excitant. Tertio producitur ignis, quando radii solares vitri caustici ope refracti, aut speculi concavi auxilio reflexi in unum punctum, quod focum appellant, colliguntur. Extinguitur autem ignis tripli-

plici quoque ratione: primo deficiente pabulo. Secundo suffocatur, dum candela ad fundum emungitur. Tertio flatu, quo flamma a suo pabulo avulsa & dispersa per aerem evanescit. Veram generationem ignis corruptionemque quam plurimi Peripateticorum pro aris & focis defendunt; non pauci alii cum Atomistis nonnisi collectionem igniculorum ac dissipationem esse volunt, experimentorum præcipue electricorum copia freti. Sunt autem tres potissimum classes ignium, scilicet ignis, qui lucet, sed non urit; qualis est, quem Mercurius ut ajunt *Phosphorizans* in barometro concluso in superiori vacua tubuli vitrei parte exhibet: ignis qui urit & non lucet, uti contingit in terræ salibus, calce viva, & diversis liquoribus, vino adusto, aqua forti, aqua stygia. Demum qui & urit & lucet, quemadmodum ille, quem *usualem* vocamus, quin & *solaris*: nam uerque caloris & lucis vestigia sane manifesta ubique post se relinquit. Si locum ignis queras, ostendent tibi digito Philosophi antiquiores concavum lunæ seu spatium lunam inter & atmosphærarum nostram, cuius sententia primus Author fuisse creditur Ocelius Pythagoræ discipulus: sed merito Re-

centiores hanc ignis in concavo Lunæ degentis fabulam explodunt, sine tabulis sine testibus experientiæ ac rationis assertam: potius si Krchero credimus (q) naturæ arcanorum peritissimo, infimus ab eo locus ut plurimum occupatur in ipsis terræ visceribus, quod tot montes ignivomi seu Vulcani (octoginta quidam numerant) per globum *terraqueum* dispositi, tot pyrophylacia, tot thermæ calidis aquis scaturientes probant. Illud certum, quod ignis sibi relictus reliqua elementa vincat levitate ac subtilitate sua, uti spectaculo non in ameno exhibit machina vitrea, quam mundum elementarem vocant, fragmentis vitri, oleo tartari, ac spicæ, vinique spiritu fortissimo impleta, quibus nomina terræ, aquæ, aeris & ignis imponunt. Cæterum meteora huic elemento familiaria non pauca sunt, nec obscura, quibus alimenta præbent exhalationes igneæ, sulphureis & nitrosis particulis bene fartæ, quæ si intra nubis ventrem mutua collisione accessæ exitum quærunt, & impetu summo, qua parte debilior est nubes, erumpunt, Tonitru efficiunt; si vero absque ingenti hoc impulsu nubem scindunt, fulgur prodit: si autem materia illa hali-

tibus

(q) *In mundo subterr.* l. 2. c. 19. §. 3.

tibus plena & succensa sit crassior & magis compacta, parsque subtilior inde divulsa impetu maximo e nube dilacerata effunditur, atque summa celeritate per aerem circumlata deorsum ruit, fulmen adpellamus. Certe Seneca jam olim scite pronuntiavit : (r) *Fulgurationem esse ignem late explicatum, fulmen vero ignem coactum & impetu jactum, & fulgur esse flamam, quæ futura erat fulmen, si plus virium habuisset.* Porro idem Seneca tres fulminum species distinguit: primam vocat fulmen *terebrans*, quod ob subtilitatem suam per minimos corporum poros penetrat, & in intimos recessus animalis grassatur, idque subito extinguit. Altera est fulmen *discutiens*, quod paullo crassius, magisque conglobatum disrupit omnia, quæ sibi obstant. Denique *urens* est, quod flammat voraceim secum advehit, quæ instar picis corpori cuivis, in quod incidit, adhæret, illudque accendit. Materiem fulminis prodit odor, qualis esse solet sulphuris, nitri, ac bituminis: vim & impetum ostendit analogia nubis cum tormento bellico, quod pulvere pyrio intus accenso fartum summo constu flamas & globum ejaculatur. Ex his non adeo difficile est, multos saltem,

qui

(r) *Lib. 2. quest. natur. cap. 16.*

qui non præter ordinem communem contingunt, effectus explorare. Sunt, qui credunt, non idem esse fulmen, quod diversis viis circumcurrere videtur, sed plura esse ab aere divisa, quæ eodem tempore in diversa loca simul impelluntur. Sunt quoque, qui non solum e nubibus, sed etiam quandoque prope telluris superficiem fulmina cudi, ac in altum ferri pro re comperta habent. Denique meteora & velut ludicra ignium in aeris regione apparēntium spectacula, uti sunt *Dracones volantes, capræ saltantes, stellæ cadentes, trabes, pyramides & globi ardentes, ignes fatui, Castor, Pollux & Helena, perspecta halituum igneorum*, qui ex sulphureis, salinis, nitrosis & bituminatis particulis constant, in aera sublatorum natura, facile intelliguntur.

## XXV.

*Elementum aquæ.*

Igni aquam subjungo, inter quæ duo elementa perpetuæ in hoc universo inimicitiae intercedunt, uno in alterum per calorem & frigus pugnante: quod provido ramen naturæ consilio fit. Quippe ignis inquiete sua, & penetrandi urendique virtute summa corriperet, dissolvet

ret ac absumeret omnia: aqua vero perpetuo frigore torpescens cuncta constringeret ac congelaret, motumque omnem e mundo prosciberet, nisi ambo hæc elementa inter se commissa unum alterius vitæ hebetaret, atque ita mutuis tum cladibus tum victoriis in bonum universi conspirarent. Componitur autem elementum hoc potissimum ex particulis flexilibus, re ipsa divisis ac dissociatis, utpote sine quibus dotibus molle ac fluidum esse non posset; quod tamen non prohibet, quin modice quoque tenax sit, & corporibus quibusdam plus minusve adhærere soleat: cætera humidum, limpidum ac frigidum, vix tamen aliquus elasticitatis ac compressionis patientis post plura experimenta est. Dividunt autem Philosophi aquam primum quidem in *puram* & *non puram*: prior raro vel nunquam haberi potest, quum sit omnium fere elementorum commune vehiculum, minimis eorum particulis ab aqua solutis huc illuc fluctuantibus: neque pura si foret, plantas aut pisces nutritre posset. Nam vulgatum est axioma: *elementum purum non est alimentum*. Deinde in *salsam* & *dulcem*. Quamvis enim re ipsa omnes aquæ ejusdem naturæ sint, diversum tamen saporem aliunde sortiuntur.

tur. Quippe maris aquæ salzedinem induunt a salinis particulis, quæ maxima copia in ejus fundo & montibus Oceano tectis lactitant, quibus facili ac perenni coitu miscentur: dum vero hæ ipse aquæ salæ per canales & meatus subtus terram in remotiora partim, partim in altiora loca urgentur, salinas particulæ vel ob meatuum angustias post se relinquunt, vel in latera canarium exonerant, quibus facile adhærent, vel calefactæ ab ignibus *subterraneis* evaporant & expirant antea, quam in fontes & flumina se conjungant, a quibus aqua dulcis subministratur. Neque color multiplex aquæ deest, non quidem proprius, quum spectata natura sua pellucida sit & diaphana, sed aliunde mutuo acceptus: Pontus Euxinus (vulgo Mare Nigrum) atro gaudet colore, qui ex profunditate oritur, quæ lucem absorbet, ac parum reflectit. Mare rubrum dicitur a colore rubro, quem vel transfundit rubra fundi arena, vel omnino adtrahunt undæ, lambendo copiosas arbores corallinas innibi contentas: Viridis quoque color, quo plerumque tectum incedic mare, vel a plantis denso ordine subtus crescentibus, vel ex mediocri profunditate originem dicit. Multa heic quoque in medium

adferunt Philosophi experimenta scitu digna de gravitate aquarum diversarum, uti & liquorum aliorum, quam explorant ope Hydrometri, quod in dulci profundius mergitur, quam in salsa: item in oleo, vino &c. quam in frigida. Sta- tuunt etiam certas leges pro investigan- do corporum aquæ immersorum ponde- re: non minus artificio paratos aquarum saltus exhibent in cochlea Archimedis, in siphonibus & machinis ad extinguen- da incendia inventis, in Antlia Pneuma- tica &c. atque aliis ad Hydraulicæ re- gulas fabrefactis instrumentis. Sed quid de fontium ac fluviorum origine dica- mus? Quum S. Scriptura nos doceat (s), *omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum, unde exeunt flu- mina, revertuntur, ut iterum fluant,* certum est primo, quod mare redundaret, si tantam aquarum molem singulis momentis per tot ostia infusam gremio suo reciperet, nec per alias vias in ter- ræ globum dispensaret. Secundo, quod aquam acceptam per diversa itinera eum in locum devehat, ubi fontes ac flumina oriuntur, iterum in mare reversura, at- que ita aquarum in hoc universo cyclo- fin dari necessum sit. At illud maxime  
du-

dubium, qua ratione quove modo id contingat. Sunt qui fontes ac fluvios & pluviarum niviumque solutarum aquis, in quas vapores a mari, lacubus, & ipsis fluminibus ascendentis coeunt, atque a ventis circumferuntur, oriri docent, dum in terras effusae ac in receptaculis collectae vel per hiatus & fissuras montium, vel per alveos, quos sibi formant, effluunt: hi sequuntur Mariottum, Sedileum & Halleium, qui tum pluviarum cadentium, tum aquarum e fluiis in mare se exonerantium molem ad calculum revocarunt, inventa majore aquæ pluvialis, quam fluvialis copia. Verum opinio hæc magnas patitur difficultates in explicanda fluminum, quæ paradisum irrigabant, origine, ubi necdum pluviæ ceciderant: item qua ratione Eliæ tempore, quando per annos tres & sex menses non pluit, vitam sustentare potuerint homines & pecora, si nulli fuissent fontes & flumina, quæ aquas subministrassent? Contra sunt alii, qui in locis editioribus fontes vaporibus adscribendos esse censem, qui ex aqua maris intra terræ viscera recepta, ac ignibus subtus latentibus in vapores soluta, in montium altissimorum cavernas sublevantur, & earum fornici adhærentes accedente tum

frigore condensantur in guttas, in præparata hydrophylacia jugiter delabentes, unde postmodum perpetuis auctæ incrementis per hiantia montium latera prorumpunt. Fidem huic opinioni facere videntur aquæ & ignes *subterranei*, amplæ in montibus cavernæ, & aquæ, vapores copiosissimi, ipsique montes sapientius instar thuribuli fumantes. Non minore difficultate laborant Philosophi in explicando maris æstu, & adsignanda certa illius cauſa. Fit autem æstus hic, dum aqua per 6. horarum spatium sensim ad litus accedit, ibique, intumescit: deinde vero, dum per quartam circiter horæ partem in eadem altitudine persistit, per æqualem temporis moram sensim decrevit a litore recedendo, ac detumescit. Atque hic reciprocus oceani fluentis ac refluentis motus in quibusdam locis bis intra 24. horas contingere solet. Pene omnes fatentur, motum hunc a luna mari dominante pendere, quum mira sit eum inter & oceanum conspiratio. Qua vero ratione? Galilæus motui telluris diurno una cum annuo æstum hunc tribuit: Cartesius lunæ per vorticem æthereum prementi, Newtonus virtuti suæ attractivæ; alii cum Kirchero & de Chales cuidam spirituum sulphureorum, sali-

salinorum & nitrosorum mari commixtorum fermentationi a luna excitatae, alii denique Recentiorum materiae æthereæ pro vario lunæ se interponentis motu in Oceani aquas vim suam exercenti. Nemo rem acu tetigit. Unde Caussinus noster adpellat æstum marinum humani ingenii & curiositatis sepulchrum.

## XXVI.

*Elementum terræ.*

Sed ad terræ elementum pergamus. Hoc a reliquis se distinguit, quod sit grave, aridum, densum, fixum ac firmum. Licet enim terra indole sua friabilis sit in minutissimos cineres, hi tamen humore velut glutine invicem cohærentes firmissimam molem constituunt, præcipue si quod humidum est, terrestri siccitate figatur, & si, quod superest, exhaletur. Unde etiam mixtis reliquis firmitatem conciliat, eo majorem, quo plus terræ ac salis admistum est; hæc enim duo arctissimo nexu conjuncta adeo firma reddunt corpora, ut vix queant dissolvi: in metallis sal, in lapidibus terra dominatur. Num vero terrenæ particulæ cubica gaudeant figura, ut Plato docuit, an sphærica, ut Fabri existimat; aut ex particulis tertii elementi

Cartesiani, vel hamatis Gassendi atomis componantur, ariolari non libet. Dividitur autem globus terrestris, qua se a superficie ad centrum usque extendit, in tres regiones, scilicet in *supremam*, quæ altior est maris superficie, & velut extima crusta, e qua herbæ, frutices, arboresque gignuntur, & alimentum suum trahunt: *infimam*, quæ humilior & depresior maris fundo quasi nucleus est, & terra nobis incognita: & *mediam*, quæ inter maris superficiem & fundum jacet, patria fossilium sive metallorum, & mineralium. In profundioribus locis terra perpetuo calet ob ignes *subterraneos*: norum ope in vapores solutus humor in ejus visceribus late sparsus, & versus superficiem ascendens generationem fossilium, herbarum, & animalculorum jugiter promovet. Hinc quoque tanta terrarum diversitas ob diversam halituum mineralium admistionem: hinc aliæ terræ sunt macræ, aliæ pingues, aliæ fertiles, steriles aliæ: item quædam nigræ, quædam albæ, cineritiae, rubræ: immo quædam etiam medicatae ac pretiosæ, uti terra Lemnia, Melitensis, Armenia &c. Nec thesauris suis caret hæc fœcundissima mixtorum parens, qui varii generis sunt; primi generis sunt sales, nitrum, vitriolum, sulphur

sulphur, bitumen, alum, præcipue mercurius: secundi sunt lapides pretiosi, ut gemmæ, electrum, corallia, magnes &c. Tertii generis sunt metalla: aurum, argentum, cuprum, stannum, plumbum, ferrum &c. Horum omnium genesis, virtus & indoles a Medicis & Chymicis potius examinantur, quam a Philosophis, quorum tamen consideratione dignissimus est magnes, lapis ferruginei coloris, & chalybis instar durus. Magnetis nomen fortitur vel a *magna* qua pollet virtute, vel ab insula *Magnesia*, Macedoniæ vicina, in qua nascitur, vel ut Plinius scribit, a Pastore *Magnete*, qui quum in Ida monte armenta pasceret, ubi soleas suas ferro obductas & cuspidem pedi adhærescere sensit, effossa humo eum primus invenisse dicitur. In hoc lapide tres potissimum dotes admirari licet. Prima est virtus *adtrahens* & *repellens*: altera vis *convertens* seu *dirigens* ad polos mundi, tertia vis se *communicandi*. Per primam ferrum, chalybem, scobem ferri &c. ad se adtrahit, & arcte complectitur: per alteram se convertit ad polos terræ, ita ut ipsius poli duos polos respiciant: per tertiam magnes chalybem vel ferrum, acum nauticam &c. eadem qua ipse pollet, virtute imbuit ea ratione, ut simili-

ter ad terræ polos sese componant, atque aliud ad se ferrum trahant. Testantur hanc vim plurima certaque experimenta. Sed modus & ratio, qua hæc phœnomena fiunt, summe dubia est, & hodie adhuc maxima ingenia mirum torquet. Antiquiorum multi e cœlo nimis longo intervallo, scilicet a stella polari, virtutem hanc reperiebant: alii a terra, nempe montibus ferro gravidis, nec longe a polo Boreali remotis accersivere: at Recentiores autumant, terram magnum quemdam magnetem esse, aut quod verosimilius in terra grandem veloti nucleus magnetis ab uno ad alterum polum extendi, qui per quosdam quasi ramos alicubi se se porrigit, & in minores protuberet. Quare vim dirigentem adscribunt tenuissimis effluviis ex hoc grandi magnete circa telluris glebum perpetuo manantibus, quæ per partes australes subeunt, & per septentrionales redeunt. Hæc si in ipsum magnetis lapidem offendunt, per ejus polos penetrantia in sui motus leges ac normam inflectunt: unde memorato lapidi geminos quoque polos *ingressus* & *egressus* assignant: attrahentem vero virtutem explicant, quod effluviis istis spatium inter ferrum & magnetem interjectum repellentibus aer omnis expellatur, qui a tergo

tergo ferri aut alterius magnetis mox subiens, ac primum compressus, tum elastica vi sua sese expandens, ferrum in magnetem impellit: demum communicantem accipit chalybs aut ferrum ab his ipsis effluviis magneticis in acum nauticam per ejusdem fibras tenuissimas sese insinuantibus, dum magnetis polo utrique, contrario tamen ductu, adfricatur: hac enim ratione gemini quoque ingressus & egressus poli formantur in chalybe aut ferro. Sunt, qui inter terræ meteora etiam numerant ventum & terræ motum. Venti natura & caussæ optime per ælopilam ante oculos ponuntur, seu globum ex ære vel cupro compositum, intus cavum, aqua ad quartam fere partem impletum, reliquo foramine modicissimo. Hic si ardentibus imponatur carbonibus, caloris ope aqua ebullit, & aer vehementissime rarefit: inde vapores excitantur, & angusti carceris impatientes cum sonitu & sibili per foramen erumpunt instar venti; neque cessat hic, donec universa e globo aqua hac ratione fuerit exhalata. Ex his patet ventum aliud non esse, quam aerem commotum & agitatum: caussas vero partim evaporationes partim exhalationes e globo terrestri erumpentes. Quodsi percutiatur & repercutiatur a lateribus mon-

tium aut densis nubibus &c. augmentum capiet, nec raro tantum, ut arbores turbine suo sternat, & tecta domorum dejiciat. Non tamen diffitemur, ex aliis quoque causis oriri posse ventum. Terræ motus autem est violentus ejusdem in loco vel regione quadam concussus. Hujus originem aliqui ducunt a ventis, alii ab ignibus *subterraneis*, seu incensa bituminis ac sulphuris materie. Ultraque causa conjungi debere videtur pluribus, quibus hoc persuadet analogia cum artificiose terræ motu, quando in cuniculis congesta accensaque pulveris pyri mole terram, muros & propugnacula non concuti solum, sed & in auras evibrari cernimus. Nam ingens hæc concussio non a solo pulvere pyrio accenso, sed vel maxime ab aere per ignem subito & nimium quantum rarefacto atque distento proveniens molem terræ superingestam summa vi attollit, & quandoque fractis claustris perrumpit.

## XXVII.

*Plantæ.*

Postquam corporum vitæ expertum consideratio diu satis Physicam occupavit, hæc ad viventia oculos mentemque suam con-

convertit: & primo quidem ad plantas, quas vitam vegetativam vivere volunt Philosophi. His natale solum est terra, cui per radices suas eidem infixas adhærent, & accepto ab illa succo nutriuntur ac crescent. Duabus constant partibus, fluidis nempe ac solidis: fluidæ sunt humor ille vel succus, qui sanguinem in corpore animalis imitatur, & per solidas partes jugi motu & gyro diffunditur, percolatur, atque ita nutrimentum plantæ subministrat. Prodit hic se facto vulnere, ut Lucanus canit:

*Caudice defecto lacrymat sua gaudia palmes.*

Solidæ sunt ipsa organa, quæ plantæ corpus componunt, scilicet radix, truncus, rami, folia, flores, fructus, semen. *Radix* est infima pars & quasi basis, immersa terræ, quæ succum nutriendo corpori aptum excipit, & caloris ac fermentationis ope sursum evectum per reliquas plantæ partes dispensat: ipsa radix constat pelle, cortice ac fibris minutissimis. *Truncus*, quem in arboribus caudicem vel stipitem, in herbis caulem vel scapum, in tritico calatum vel culmum adpellant, est quasi corpus plantæ, tresque alias partes complectitur: corticem, lignum, & medullam. *Rami* e

trunko instar artuum e corpore prodeunt: plerumque sine ordine, quandoque pulchra serie nascuntur. *Folia* sunt tum ad ornamentum plantæ, tum ad fructus adversum tempestatis iniquitatem, & solis æstum tuendos. In iis mira est fibrarum tenuissimarum textura & ingens copia, scilicet ad succum perpetuo promovendum & percolandum; quare viridi colore gaudent. *Flores* & *fructus* merito sunt conjungendi. Sunt enim flores veluti primus plantarum partus & luxurians voluptas spectantium oculis objecta: Fructus autem est ultimum opus; nam ut eleganter ait Stephanus Chavinus (t) *Parere dicuntur plantæ, dum florent, flosque ruptis exit utriculis: sed educatio in fructu est, cuius scilicet gratia vivit planta, quæ suorum fructuum mater est & nutrix.* In fructu autem spectandus est cortex, dein subtilis pellicula, quæ pulpam seu carnem fructus continet, plurimis distinctam fibris liquore dulci turgentibus. In plerisque addi potest semen seu granum, in quo provida natura ejusdem speciei plantam jam inchoatam, & primis organorum lineamentis instructam abscondit, fecunditati, quæ maxima est, servitaram. Atque hæc plantarum œconomia est interior,

(t) *In Lexico Philos.*

terior, per Medicorum præstantium obseruationes & adhibitam anatomen determinata. Facilis modo via patet ad reliquam de plantis doctrinam. Originem si petis, alia non est nisi semen, teste S. Scriptura (u) : *Germinet terra herbam virentem & facientem semen & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum : cuius semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita, & protulit terra herbam virentem, & facientem semen juxta genus.* Ex quibus verbis tria satis clare intelliguntur, primo quidem, plantas ab ipso Deo sub initium mundi ex terra productas fuisse. Dein plantis indidisse Deum vim semen elaborandi, seque propagandi. Demum terram esse matrem plantarum, utpote in cuius utero ex semine formatur & nutritur planta, non secus ac foetus in utero matris crescit. *Propagatio autem fit per germen, seu ut vocant rerum periti, per gemmam vel oculum :* germen hoc plantæ rudimentam est, cuius una pars oblongior & rotunda *radicula* dicitur, exhibetque primordium radicis, altera *pluma*, quæ omnes futuræ plantæ partes surculum, ramos & folia in se convoluta complectitur, hæcque statis a natura temporibus rupto cortice, quo tanquam pretiosa

(u) Genes. 1.

tiosa cimelia conteguntur, in lucem emergunt, novæque plantæ progeniem monstrant. *Nutritionis negotium mirabili sane artificio peragitur.* Habent enim plantæ radices, quibus succum e terra excipiunt, habent glandulas, uti Malpighius microscopii ope deprehendit, & vocat utriculos: habent tracheas, fibras & canaliculos, in quibus succus ille *filtratur* & tamdiu percolatur, donec tenuissima pars in plantæ, ut ita dicam, carnem transeat, non secus ac sanguis in animali. Nam ut Cl. Chicognæus (x) ostendit, succus alimentarius in plantis haud aliter quam sanguis in venis animalium circumgyratur, ita ut a radicibus ad truncum, ramos & folia ascendat, & inde ad radices denuo refluat. Præterea sunt partes quædam instar glandulæ aere repletæ, quæ veluti pulmones ad spirandum serviant: aliæ quæ systoles & diastoles motum supplent. Hæc omnia antiquiores virtuti cuidam *attractivæ* tribuunt, sed in quo hæc sita sit, non explicant: Recentiores vero partim a gravitate ac elaterio aeris, porulos nunc dilatante nunc constringente, partim a solis terræque calore succum a terra subministratum eliquante, partim a *fermentatione*.

(x) *L'histoire de scien.* a Trewoox 1707.

*tatione ejusdem succi, ascensum atque descensum illius provenire docent, dirigente ac dispensante anima, seu virtute innata plantæ. Non solum autem planta succum seu alimentum, quo vivit ac crescit, per radices & oscula toto corpore sparsa e terræ tanquam matris suæ uberibus, verum etiam e vicino aere humente excipit: videmus enim cadente rore aut pluvia modica, quæ ad arborum radices non penetrat, tamen languentes antea plantas refici ac vires colligere. Porro maxima est plantarum diversitas. Quippe dividi solent universim in arbores, frutices & herbas. Arbor est planta lignosa, uno caudice seu trunco ad insignem saepe altitudinem excrescens, ut quercus, olea, ficus &c. Frutex vero planta lignosa, sed multiplici caudice ac modice assurgens, ut rubus, avellana, rosetum &c. Herba denique est planta, caudice vel nullo vel molli; sed statim a radice in folia se expandit, ut lactuca &c. Ex his tribus plantarum speciebus innumerae aliæ pullulant: tamen omnibus eadem est patria. Nam ut canit Virgilius (y).*

*Nec vero terræ ferre omnes omnia possunt:*

*Flumiz-*

(y) 2. Georgic.

*Fluminibus salices, crassisque paludibus  
alni*

*Nascuntur : steriles saxosis montibus  
orni,*

*Littora myrtetis laetissima ; denique  
apertos*

*Bacbus amat colles : Aquilonum & fri-  
gora Taxi :*

*Divisæ arboribus patriæ.*

Præterea mirabiles sunt plantarum virtutes ac vires. Atque imprimis utilitates maximas animalibus adferunt. Omnibus enim alimentum vel foliis, vel fructibus, vel radicibus suis subministrant, quin etiam pro diversis morbis præsens pharmacum, ita ut nutricum ac medicorum munere fungantur. Homini vero quid non emolumenti præstant ? vestitum, cibum, potum, habitationem, antidotum adversus varia morborum genera subministrant, & ad delicias usque nos amant. Qui singulas nosse cupid, Botanicos, Pharmacopæos, Chymicos, & Medicos consulat; quamvis longe plures earum virtutes sint, quas ignoramus, quam quas scimus. Nullus enim sapientum prodiit post Salomonem: qui disputavit super lignis, a cedro, quæ est in Libano, usque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete (z). Quid de pretiosis

planta-

(z) *Lib. 3. Reg. cap. 4.*

plantarum excretionibus dicam, gummi, resinæ, mastygis, myrrhæ, thuris, opobalsami, mellis, sacchari? quid de fructibus nobilissimis, colocynthio, Rhabarbaro, Cinnamomo, Cacuana, Zinzibere, nuce muscata, foliis Tabaci & Thée, fabis arabicis seu Caffée, Cacao & Vanilla? Quantumvis autem medicam opem suppeditent plantæ aliis, nec ipsæ tamen a morbis immunes sunt, quæ vel deficiente succo, aut fertilitate sua, vel aeris intemperie, vel incisione facta oriuntur: non quidem desunt remedia: sed tandem in longævis etiam arboribus vitæ finem facit senectus & vetustas.

## XXVIII.

*Animalia.*

A Plantis via patet ad animalia: omnium primum, quod consideratione philosophica dignum est, occurrit ortus seu genesis illorum. De hac re variae fuerunt opiniones Veterum, variae sunt Recentiorum. Omnes requirunt ad formandum animalis fœtum vim quandam plasticam seu *formatricem*, quemadmodum in plantis, ita & in animalibus, qua soboles similis generetur. Sed quid ista sit, & quā ratione generationem perficiat, dubium nobis reliquerunt. Nunc

incredibili studio ac sagacitate Virorum  
in arte tum medica tum philosophica peri-  
tissimorum Malpighii, Hervæi, Fabri,  
Rhedi, Moraschii &c. qui vocata in par-  
tem laboris Anatomia & exhibitis melioris  
notæ microscopiis rem omnem explorarunt,  
satis constat, singulis animalium generibus  
seu *oviparis* ut vocant, seu *viviparis* inesse  
*ovaria* & ovula; in quibus non sècus ac  
de plantarum semine dixi, prima linea-  
menta, & ut sic loquar, tota futuri ani-  
malis ichnographia miro naturæ ductu  
elaborata conspicuntur. Jam vero in his  
ovariis vesiculas sive ovula est reperire;  
humore pellucido ac tenaci albumine,  
(vitellum dicunt) plena, in cuius medio  
velut natat gerimen, quod ob similitu-  
dinem *cicatricem* vocant, totaque fœtus  
efformandi substantia residet, ac delineata  
organorum rudimenta continentur, præ-  
cipue cordis (punctum saliens adpellant)  
cerebri, oculorum & spinæ dorsi, quemad-  
modum ipse aliquando microscopii Veneti  
ope exploravi; ut adeo maris semen præter  
spiritus plasticos ad generationem nihil con-  
ferat, præterquam quod vel fœcundet ovi-  
lum, vel partibus istis vitalibus alimentum  
aliquod præbeat: ita nutritur fœtus minuto  
albumine, sensim crescit, partes corporis re-  
liquas velut evolvit, justamque animalis  
figu-

figuram induit, & perrupta ovuli testa in lucem prodit. Hæc de genesi animalium hucusque dicta non solum de iis, quæ perfecta sunt, sed etiam de illis, quæ imperfecta nuncupant Philosophi, uti vermes, cimices, muscae, formicæ &c. intelligenda sunt. Quamvis enim multi Antiquorum animalia imperfecta non ab aliis animalibus, non a semine vel ovo, sed e sola materia corrupta & putrefacta oriri contenderint, hodie tamen in confessio est, uti plantas omnes ex semine, ita omnia minima & vilissima animalcula ex proprio semine seu ovulis sœundatis originem trahere. Nam hac ratione semper præsto est principium creatum, & caussa naturæ apta generationi: nec frustra in seminibus live ovulis adest tantus organorum ac partium vitalium adparatus, licet adhuc ruditus, nec iste, cuius structuram non satis mirari potest humanum ingenium, putri cuidam materiæ decenter adscribi potest. Gravior Philosophos quæstio in partes distrahit, nempe an vivant animalia, & quæ sit ratio formæ, per quam vivant. Cartesius vel potius affectæ Cartesii bruta esse mera automata seu, machinas quasdam esse docent, omni cognitione, omnique sensu destitutas. Quapropter singulos eo-

rum motus, dum gradiuntur, currunt, vident, audiunt, gaudent, tristantur, irascuntur &c. e solis legibus Mechanicæ metiuntur, & partim in organorum, partim in sanguinis ac spirituum celeri motu ab externis objectis impellentibus produc̄to constituunt, atque contendunt, bruta non re ipsa videre, olfacere, fugere, tristari, irasci &c. sed ad motus illos, qui fugam, lætitiam, iracundiam comitantur, a foris excitari, quin ulla cognitio præcedat, aut perceptio interior consequatur. Sed quis non videt, inane commentum hoc esse? sunt profecto tam nobiles, & humanis vix non similes actiones, immo quædam excellentiores, quas in brutis reperimus, quæ sane a sola machina absque principio vitali prodire nequeunt; quæ ratio fuit, ut veteres quidam Philosophi rationem ac intellectum belluis inesse docuerint. Jam hanc, jam illam in partem, etiam sursum contra innatam gravitatem se movent: non solum præsentia sed etiam absentia cognoscunt, futura præsentient, præterita recordantur: quanta avium cura in nido struendo, in educanda sobole? industria apum in ædificando alveari, prudentia formicarum in comportanda pro futura hyeme annonam? dexteritas aranearum in texen-

texendis telis, astutia felium in capiens  
dis muribus? quis unquam confexit ma-  
chinam, quantumvis artificiosissimam,  
quæ audiret, videret, quæ præsentia & ab-  
senta cognosceret? doleret, amaret, ira-  
sceretur? Non tamen propterea adeo li-  
berales sumus, ut rationem vel intelle-  
ctum brutis indulgeamus, quum nimis ma-  
gna sit inter cognitiones *spirituales* ho-  
mini proprias, & *materiales* animalibus  
convenientes diversitas: nam hæ postre-  
mæ non excedunt vires materiæ, quum  
nonnisi in objecta corporea & singularia  
ferantur, quæ in organa sensuum exte-  
riorum agunt, dum illæ priores subli-  
mes & perfectæ cum *attentione*, *reflexio-  
ne*, *ratiocinatione*, *judicio*, & *deliberandi*,  
volendi, seque determinandi facultate  
conjuncta sint. Verum jam altera &  
major difficultas se offert circa formam,  
qua vivere ac sentire dicuntur anima-  
lia. Quidam veterum duce Platone, qui  
cognitionem perfectam animalibus tri-  
buebant, putarunt animam eorum esse  
tenuem quamdam divinæ substantiæ par-  
ticulam, qua bruta vivere, moveri, res  
& objecta corporea percipere, aliasque  
operationes exercere possent. Recentio-  
res quidam subtilissimo sanguinis flori,  
aut tenuissimis spiritibus in sanguinis offi-

cina elaboratis virtutem hanc adscribunt: alii agnoscunt in iis principium nobilio-ribus facultatibus præditum, seu animam fentientem, ab organicis corporis parti-bus, spirituumque vitalium motu omnino distinctam, quum actiones inde proceden-tes materiæ naturam conditionemque vi-deantur excedere, Rursus alii vim sen-tiendi petunt a sola coniunctione diver-sissima & mirabili atomorum, quam *com-binationem* dicunt, tanquam vero actio-num animalium principio. Porro non-nulli, qui omnia corpora mixta ex ele-mentis primum componi volunt, atque iisdem, ut cum Philosophis loquar, vi-tam in *actu primo* adstruunt, his virtu-tem ad miras ejusmodi operationes bru-torum eliciendas congenitam esse do-cent, prodituram in *actum secundum*, si debita partium & organorum conforma-tio accesserit. Nam ajunt, ad quid tot myriades formarum, quæ continuo produ-ci, & iterum in nihilum redigi deberent, ut patet in muscis, formicis &c? si enti materiali, qualis est forma, hæc virtus *identificari* potest, cur non etiam ipsi materiæ, seu atomis? Nec a communi sensu abhorret, si dicas aquam, terram, Iapides &c. vivere, audire, videre, quan-do res rite explicatur, nimirum, quod in

in se contineant quidem hanc potentiam & vim, nunquam tamen in opus ipsum deducendam, si non organorum dispositio his facultatibus conformata præsens fuerit, uti est in brutis, quum plurima etiam sint in artibus, quæ ad innumeratas formas nunc vilissimas nunc præstantissimas usui esse possunt, ut cera, lignum, ebur &c. prout artificis ingenium & manus disposuerit. Denique non pauci sunt, qui formam hanc in tertia quadam specie, seu substantia spiritualem inter & materialem media constituunt, ita ut aliquid de spiritu ejusque dotibus, aliiquid vero etiam de materia ejusque proprietatibus participet: de spiritu quidem, quam gaudeat vi cognoscendi & volendi imperfecta, & penetretur cum corpore; de materia vero, quum perpetuo dependeat ab illa tum in existendo, tum in operando, & si ab ea separetur, penitus intereat. Verum hæc omnia, & quidquid denique in re tam arcana & vix ipsi naturæ nota dixeris, nonnisi intra sphæram opinionis sunt constituta.

Facilior est amoeniorque animalium in species suas distributio plane multiplex. Princeps est in ea, quæ seu in aere, seu in terra, seu in aquis stabilem sedem figunt. Volatilia in tres rursus classes

dividuntur. Primam obtinent aves præstantiores: Aquila cæterarum regina, sublime volans, & visu, quem nec solis radii hebetant, reliquis acutior: Accipiter, Milvus, Vultur rapinis & pernicibus alis celebres: Grus, Ciconia; hæc in parentes senes pietate. illa volatu in modum phalangis instruto insignes: Pavo plurimarum specioso adparatu superbus, Anser stridore vocis notus, Bubo ululatu nocturno formidandus. In altera classe mediocrum eminent: Columba fœcunda & felle carens, Turtur gemens, Psittacus humanæ vocis simia, Graculus loquax: Turdus & Perdix mensarum deliciae: coturnix, sturnus, pica, merula &c. Tertiam minores seu aviculæ constituant, uti Luscinia, Alauda, & Carduelis phoenisci, Hirundo veris nuncia, Passer salax & prædator seminum, Fringilla, Parus &c. Consideratione vero præcipua dignus est avium volatus, qui aliud non est, quam motus in aere, qui alarum veluti remigio fit. His enim explicatis atque vibratis aerem comprimunt, quo se rursus restituente ac expandente impelluntur: & sursum urgentur: remissis contractisque deorsum feruntur pondere suo: ad dextram autem vel sinistram sese vertunt, si solam vel dextram vel sinistram

ſtram alam vibrantes aerem verberant,  
non ſecus ac in navigio rēmorum ope  
contingit: curſum vēro per athera re-  
gunt cauda tanquam clavo.

Terreſtria animalia vel ſunt, quæ qua-  
tuor incedunt pedibus, vel humi repunt,  
vel infeſta vocantur. E quadrupedibus  
alia denuo ſunt domesticis uilibus vel com-  
modis destinata, uti canes, feles, equi,  
asini, boves, capræ, oves &c. alia in silvis na-  
ta & educata, quemadmodum Elephas pro-  
boscide oblonga & flexili, ac dentium  
ebore ſpectabilis: Leo generofitatem ac ro-  
bore, quod maxime in cauda reſidet,  
principatum in animalium regno ſibi ven-  
dicat: Pardus, e cuius cum leæna coitu  
leopardus gignitur: Rhinoceros unum  
in nare cornu præcendens & hostis ele-  
phantis juratus: Ursus veterno torpens  
& binis ſæpe pedibus incedens: Linx viſu  
aper auditu nos viñcens: Cervus tam  
velox quam timidus &c. Mediocres ſunt;  
lupos vorax bellua, rapto vivere affueta,  
vulpes astuta, dama imbellis ac pavida:  
tigris crudelitate funesta: ſimia hiftrio &  
actionum humanarum imitatrix. Mino-  
ribus accenſentur lepus ſymbolum timi-  
datis, ſciurus molli cauda & saltu per  
arbores nota, cuniculus terræ foſſor;  
erinaceus aculeis undique armatus, mu-

stela serpentibus inimica, mus alpinus, cui tota hyems dormitur &c. At Reptilia, quæ modo corpus oblongum trahunt, modo in spiras se torquent, complectuntur in primis omne genus serpentum: Aspides, viperas, colubros, cerasas, veneno quod vel ore vomunt vel cauda fundunt, infames: dein limaces, lumbricos, & vermes, quæ ope fibrarum in orbem euntium corpus compriment, & comprimendo producunt. Demum erucas aliaque similia, quæ pedibus quidem gaudent, sed iis terræ infixis aliquam solummodo corporis partem promovent. De serpentibus illud notatu dignum, quod corpus validis muscularis in arcum flectant, tum vero posteriore sui parte solo adhaerentes partem anteriorem velut ejaculentur, atque ita repetitis vicibus iter suum prosequantur. Insectorum species sunt diversissimæ ac innumeræ, quæ in quatuor potissimum classes reponuntur. Prima est eorum, quæ ex ovulis excluduntur, ut araneæ, pediculi, pulices, acari, aliaque quæ plerumque in corporibus latent proximi putredini, tamque minuta sunt, ut non nisi microscopiis detegantur. Ad secundam pertinent, quæ ex ovis quidem, sed valde rudibus prodeunt instar vermiculorum; tum vero intus in massam quamdam

dam fluidam abeunt, arescente exterius pelle, donec depositis exuviis compareant alis instructa, uti locustæ, grylli, cicadæ, scarabæi &c. Ad tertiam illa, quæ oculis perruptis nec membrorum nec motus indicium aliquamdiu præbent, donec intumescant, & rupta pelle crura, alæ cæteræque partes manifeste adpareant, quemadmodum contingit in apibus, formicis &c. quarum labores, ædificia, cellæ, substructiones, respublicæ, coloniæ tam artificiosæ sunt, ut si ipsorum hominum industriam non superent, saltem instruant & excitent. In quarta classe infectorum collocantur, quæcunque metamorphosin patiuntur, & in alias idem formas migrant, veluti bombyces, quæ sericum subministrant non minus pretioso quam ingenioso labore, aliaque plurima animalcula, quæ ex ovo in vermum, in erucam, in aureliam & papilionem mutantur, non quidem ea ratione, ut naturam suam exuant, sed novam speciem ac formam exteriorem induant.

Jam ad Aquatilia: hæc vel sunt exanguia, vel sanguine prædicta. Primi generis sunt Loligo, quæ atro instar attracti liquore abundat, & Polypus, cuius pedibus tantum inest robur, ut iis quodvis animal tenere ac comprimere valeat:

Can.

Cancer, retrogadus & cruxa forti instru-  
ctus: Conchylia varia, quæ sua se testu-  
dine tuentur. Secundi generis vero ba-  
rena, & pistris mole sua & magnitudine  
celebres: Delphini, qui humana voce ac  
cantu delectantur. Atque hi pisces vel  
potius monstra piscium, quibus abundat  
Oceanus præsertim Indicus, vocantur  
*Cetacei*; communes sunt, & *branchiales*  
dicuntur, quorum alii maria incolunt,  
alii fluvios & lacus, ut lucius, carpio,  
tinea, perca, salmo &c. quidam porro  
Amphibii adpellantur, seu qui modo in  
aquis modo in terris habitare solent, me-  
dia inter aquatilia & terrestria animalia  
species, quemadmodum crocodilus, te-  
studo, castor &c. Omnibus autem pisci-  
bus communis est motus, quo in aqua  
librantur, seu natatio; nam quum pisces  
eandem habeant cum aqua gravitatem,  
quam *specificam* vocant, secundum leges  
hydrostaticæ illi quidem omnino immer-  
guntur, nunquam tamen nisi peculiari  
quadam vi, quam sibi inferunt, demer-  
guntur. Ut autem susdeque pro lubitu  
ferri possent, solers natura vesiculis aere  
plenis eos instruxit, quibus ope muscu-  
lorum seu contractis seu expansis majo-  
rem minoremve aeris copiam admittunt  
atque ita gravitatem corporis sui augen-  
tes

tes aut minuentes descendant profundius, vel altius ascendunt: maxime tamen cauda motus suos in omnem partem perficiunt, utpote quæ illis est id ipsum, quod gubernaculum aut remus navigio.

## XXIX.

## Homo.

Explorata animalium genesi ac indole pergit Physica ad hominis naturam studiosius investigandam. Est autem hæc, triplici facultate instructa, nimirum *vitali & naturali, animali & sensitiva, demum rationali*. Primam atque secundam participat cum plantis & animalibus sublimiore quodam gradu, tertiam cum spiritibus inferiore. De hac postrema differendi locus erit in Metaphysicâ de primis duabus jam nunc agendum. Hoc ut rite fiat, humani corporis fabri-  
cam rudi calamo velut penicillo delineare oportet, eas solummodo partes enume-  
rando, quarum cognitio ad illas, de quibus dixi, facultates explicandas necessaria est: accuratiorem pleniorumque de-  
scriptionem invènire licebit in libro, ubi  
agetur de arte Medica. Oeconomia igitur totius humani corporis in tres re-  
giones distribuitur, nempe in supremam seu *animalem*, in medium seu *vitalem* &  
in-

intimam seu *naturalem*. Suprema complectitur eas partes, quæ intra capitis, media quæ intra thoracis, infima quæ intra ventris limites continentur. In capite cerebrum, oculi, aures, lingua, nares & nervi conspicienda se præbent. Porro cerebrum, quod est spirituum emporium in majus, & minus seu cerebellum distinguitur. Majus meninges seu pia & dura mater, falx, fornix, ventriculi, septum lucidum, thalamus nervorum opticorum, & glandula pinealis constituunt cerebellum seu minus cerebrum ex innumeris gyris, circellis & laminis contexitur. Oculus præcipuum visus organum quinque tunicis vescitur: cornea, sclerotica, uvea cum pupilla, iride & processu ciliarii, choroide, retina; tresque concludit humores aqueum, crystallinum cum arachnoide, & vitreum: in omnem autem partem gyratur ope sex muscularum. Auris est proprium auditionis organum, & incipit a concha, ac post meatum acusticum, quatuor ossicula incedem, malleum, stapedem, & os orbicularis stapedii adhærens in duas cavitates definit cochleam & labyrinthum. Lingua gustus sedes & humanæ vocis instrumentum carne spongiosa & volubili, osse Hyoide, fræno, laringe ac papillis nervosis compo-

ponitur. Nares olfactus organum gemino foramine, quod *cartilago* dividit, & binis viis sursum ad *os cribiforme*, deorsum ad *fauces* instructum est. Nervorum decem paria, quas *conjugationes* vocant, numerantur. Mediam regionem seu vitalem occupant *cor*, pulmones venæ & arteriæ. Cor vitæ fons dupli *systoles* quo contrahitur, & *diasstoles* quo distenditur, motu perpetuo agitatur; duobus gaudet ventriculis, totidem venis *cava* & *pulmonaria*, totidemque arteriis *pulmonaria* & *aorta*. Pulmones sunt veluti folles vitales, quibus animal spirat, & in duos *lobos* ceu alas distinguuntur: inseritur his *aspera arteria*, cujus caput *larynx*, operculum *epiglottis* dicitur. Venæ sanguinem cordi advehunt, inter quas eminent *cava*, *porta* & *pulmonaria*, item *mediana* & *venæ pulsatiles*: Arteriæ vero avehunt a corde sanguinem, suntque insigniores *aorta*, & *pulmonaria*. Ultimam regionem seu naturalem impletū hepār, ventriculus, lien, renes & intestina. Hepati adjacet *vesicula* fœllis, & binis patet venis illiusrioribus *cavæ* ac *portæ*: ventriculus duobus instructus est ostiis, quorum primum *Oesophagus* vocatur admittitque cibos in ventriculum; alterum *pylorus*, per quem concocti abeunt in int-

testinum : lien e regione hepatis situm, vas est percolando præparandoque sanguini destinatum: Renes, in quorum glandulis deponitur serum inutile, quod per tubulos distillat in *pelvem*, inde per *ureteres* in vesicam. Intestina tum chylum excipiunt, tum fordes evehunt: distribuuntur in *gracilia*, nempe *duodenum*, *jejunum*, *ilion seu volvulum*, & in *crassa*, scilicet *cæcum*, *colon & rectum*, quæ motu peristaltico agitantur, & ope *mesenterii* seu membranæ innumeris venulis latetis colligantur. Præter hæc ad cœconomiam corporis cognoscendam spectant partes, quas dicunt *similares ac dissimilares*: *Similares* seu ejusdem rationis sunt vs, pars reliquis omnibus durior ad corpus falciendum (ossa vero singula præter dentes & *Sesamoidea* tenuissima circumdat membrana *piquosior* acutissimi sensus, atque ex omnium compagine exurgit *σκληρος*) *cutis* seu pellis vestit totum corpus, illudque involvit. In hanc omnes vasorum propagines e cunctis partibus corporis conveniunt, formantque *poros*, per quos vapores & fuligines emituntur: cutim ambit *cuticula*, quæ illam adversus aeris injurias tuetur: *Carto* est pars mollior, rubri coloris, e pluribus composita fibris, glandulis & vesiculis,

in quibus liquor quidam limpidus continetur: *Arteriae* seu canales e quatuor tunicis contexti, intra quos sanguis & corde in singulas corporis partes dispensatur: *Venae*, per quas sanguis a partibus extremis ad cor redit, tenuiores sunt arteriis, unica instructæ tunica, sed pluribus *valvulis*, quibus partim hiantibus admittitur sanguis, partim occlusis regredi prohibetur: *Nervus* pars oblonga & teres est, ex subtilissimis filamentis contexta, a cerebro ad singulas fere partes extensa, per quam celerrime comitant spiritus animales, ad motus corporis & sensus servituri: *Tendo* constat solidioribus fibris, estque pars extrema *musculi*; hic autem excoriati muris speciem præbet, & liquidam quamdam mobilemque materiam in ventre gerit, qua illapsa dilatatur, & ope tendinum membra quibus adhæret, contrahit, estque motuum omnium instrumentum. *Ligamentum* connectit partes, præsertim ossa & viscera, ut una simul moveri possint. *Cartilago* est carne durior, ossibus autem molior, qualis est *septum* illud, quod nares conjungit. Denique *fibræ* sunt filamenta oblonga, valida & gracilia ad motum quoque perficiendum destinata. *Dissimilares* corporis partes, seu diversæ rationis,

præcipuæ sunt: caput, truncus, artus, omniaque organa sensuum, musculi &c. Ad caput quod adtinet, in eo omnes sensus sunt collecti, & anima veluti residet, quamvis toto corpore diffusa. Sphærica gaudet figura atque dividitur in faciem, in sinciput & occiput, ac verticem tanquam partem medium: in tempora & cranium, cui triplex est sutura: proximum vero collum, quod caput & truncum committit, mobilibus ad caput in hanc vel illam partem vertendum ossibus præditum. Sequitur truncus, qui ad femora usque regionem suam extendit: in eo pectus, quod etiam venter medius seu thorax appellatur, tegitque pulmones, cor, aliasque partes vitales instar umberonis: venter insimus, quem *diaphragma*, seu densior membrana a thorace separat, usque ad os sacrum porrigitur, partesque naturales omnes, jecur, splenum &c. concludit: Intestina, quæ omento ceu reti vestiuntur, ac *peritonæo* membrana firmissima continentur. Artus, tercia *dissimilares* pars, sunt membra articulis distincta: ejusmodi sunt brachia & crura: brachium porro in *humerum*, *cu-bitum* & *manum* dividitur: crus in *fe-mur*, *tibiam* & *pedem*.

His de corporis humani (eadem in mul-tis

tis brutis ratio est) structura brevissime præmissis, ad facultates & functiones seu *naturales* & *vitales*, seu *animales* explanandas via patet. Inter primas numerantur *sanguinis circulatio*, *respiratio*, *nutritio* & *augmentatio*. Sanguinis circuitus, græce Cyclosis, fit, dum cor motu diastoleles dilatatur; tum enim sanguis e vena cava in dextram cordis auriculam, & ex hac in ejus ventriculum sese infundit, ea fere ratione, qua follem explicatum aer subit: ubi vero motu systoles, contrahitur, per arteriam pulmonariam sanguis in pulmones expellitur, e quibus per venam pulmonariam in sinistrum cordis ventriculum denuo per diastolem dilatatum revertitur, & succedente systole in aortam extruditur, per cujus ramos in totum corpus dispensatur: inde dum per venas capillares resorbetur, & in venas maiores transmittitur, dénum in cavam illabitur, & ad fontem suum seu cor reddit. Huic celebratissimo nunc systemati suffragatur ratio de promta tum ex sanguinis defectu, si cyclosis hæc non admitteretur, tum ab experimentis illis, quæ in phlebotomia occurrunt. *Respirationis* negotium conficitur dupli motu, quorum primo pectus dilatatur contractis fibris diaphragmatis & thoracis, atque ita per

os & nares aer in traheam seu asperam arteriam & ipsos pulmones immittitur: altero autem, quo remissis illis, de quibus dixi fibris, pectore contracto, aer ex pulmonibus per traheam rursus egeritur. Totam rem exhibit optime follis igniarius, dum tabulis a se recedentibus aer per collum subit; iis vero coeuntibus eadem via remeare cogitur. *Nutritio & augmentatio* sunt facultates naturales, quibus e cibo rite præparato partes corporis deperditæ vel reparantur, vel ejusdem membra ad debitam magnitudinis suæ mensuram promoventur: hoc autem ut fiat, opus est tum *Chylosi*, qua cibus digeratur, vertaturque in chylum, tum *Hæmatosi*, qua chylus in sanguinem commutetur. Chylosis perticitur dum cibus ori immissus primum dentibus frangitur & saliva solvitur; deinde per cesophagum motu *peristaltico* in ventriculum propellitur, ubi lente fermentans & acidis quibusdam homoribus dissolutus in intestinum, quod *duodenum* vocant, jamic purior & albicans ex hoc per lacteas mesenterii venas & ductum thoracicum in venam subclaviam, ac demum per venam cavam cum reflu sanguine commissus in dextrum cordis ventriculum defertur. Hæmatosis vero,

seu

ſeu chyli purioris in ſanguinem commu-  
tatio crebris percolationibus absolvitur,  
dum chylus cum ſanguine circumactus  
potiſſimum in hepate, liene, ac renibus  
inutiles humores deponit, donec ipsam  
ſanguinis indolem & naturam induat.  
Atque hac ratione partes animalis flui-  
dæ reparantur augenturque, quandoqui-  
dem ſanguis e ſinistro cordis ventriculo  
erumpens per arterias diversa viſcera ſu-  
bit; partes autem ſolidæ, quatenus idem  
ſanguis per minimos tubulos excurrens  
in eas ſeſe inſinuat, & in porulis ſingu-  
larum aliquam ſui portionem relinquit,  
qua in majorem molem excreſcunt.

A facultatibus corporis naturalibus &  
vitalibus ad animales pergamus, quæ ver-  
ſantur circa *sensationes*, ut Philosophi lo-  
quuntur. Hæc ſensatio aliud non eſt, quam  
ſenſibilium rerum objectarum per organa  
ad ſenſum destinata perceptio. Explicant  
hanc Recentiores, dum docent, objecta  
ſenſibilia primum vim ſuam ad pulſu quo-  
dam exercere in organa ſenſuum exte-  
riorum, in quibus tum inchoatur *senſa-  
tio*; poſtmodum vero impressio illa ad  
ad cerebrum usque per nervos veluti  
transmissa animam ceu facultatem ſen-  
tiendi in præcipua ſede ſua ad percipi-  
endum excitat; qua ratione demum ſen-  
ſa-

*satio* in organis inchoata perficitur. Ita sane experimur, eos qui phrenesi, apoplexia, aliisque morbis solum cerebrum affidentibus laborant, nihil omnino sentire, quantumvis exteriora organa a rebus sensibilibus vehementer commoveantur. Hanc opinionem multiplici experimento & ratione stabilitam per omnes quinque sensus late deducunt. Visio aliud ipsis non est, quam perceptio illius impressionis, quam ope luminis pupillam subeuntibus ab objectis rebus visilibus in tunica *retinae* patitur oculus. Nam e singulis illarum punctis plurimi radii ad oculum ita vibrantur, ut pupillam ingressi & in humoribus refracti, simulque collecti dum ad retinam promoventur, in ea objectae rei imaginem scitissime de pingant, non secus ac in *camera*, quam vocant, *obscura*. Porro lumen constituant in motu quodam vibrante, quo materiae subtilis seu ætheris globuli celerissime versus oculum concitantur, horumque nervulos vivacissime afficiunt. Hac enim ratione legibus visionis seu *directæ* seu *reflexæ*, seu *refractæ* opime satisfieri docent. Cætera e lumine aliis atque aliis modis reflexo oritur color, quem in *objectivum* & *formalem* distinguunt: prior pendet a magnitudine, figura & situ

situ particularum corporis superficiem  
constituentium ; posterior autem a lu-  
mine ipso , quod textura hæc superfi-  
ciei ad oculum reflectit. Hac enim ra-  
tione non solum genesis colorum extre-  
morum , ut albi & nigri, sed etiam me-  
diorum , ut flavi, cærulei &c. & adpa-  
parentium in iride , prisme &c. phæ-  
nomena scite solent explicari. Auditio  
contra est perceptio impressionis , quæ  
fit in nervorum fibrillis per *labyrinthum*  
& *cochleæ* gyros dispersis, dum aer tre-  
mulo corporis sonantis motu correptus  
atque impulsus fibrillas illas solicitat, eo-  
demque tremore concutit , sonumque  
efficit. Hic autem rursus in *objectivum*  
& *formalem* dividitur : ille in motu, quem  
admodum memini, tremulo partium mi-  
nimarum corporis sonori , dum percuti-  
tur, colliditur, disploditur : hic vero in  
simili , qui a partium corporis percussi  
aut collisi tremore aeri communicatur,  
& ad intimos auris aditus defertur, mo-  
tu consistit. Gustus, cuius organum pro-  
prium est lingua, seu potius *papillæ ner-*  
*vaceæ*, ex intima linguae substantia pro-  
deuntes, & in superficiem adsurgentes,  
sensus est, quo corporum saporem per-  
cipimus, cibosque discernimus, quod fit  
ope particularum potissimum *salivarum*,


quæ secundum diversam, qua papillas de quibus dixi, vellicant, impulsionem grati vel molesti saporis sensum excitant. Odoratus est ille sensus, quo corporum odores exploramus; ejus organum est membrana tenuis, quæ interiores narium recessus ambit & quasi vestit, quamque plurimæ nervorum ad hunc sensum destinatorum fibrillæ per ossis *cribriformis* foramina transeuntes penetrant; itaque membranam istam, si particulæ ut plurimum salino-sulphureæ e corporibus effuentes afficiant & irritent, percipitur & sentitur odor. Tactus denique, qui ex omnibus sensibus latissime patet, partim quia per totum corpus diffusus est, partim quia reliquos in se sensus certatione complectitur, quoniam omnes impressione quadam perficiuntur, tactus inquam propriam sedem habet in *pyramidalibus* nervorum papillis minimis, quæ erumpentes ex cute in cuticulam desinunt. In has enim si corpora exterius admota vel impingunt, vel molliter se se insinuent, earum sensus pro cuiusque indole percipitur. Jam vero in singulis sensibus hucusque enumeratis duo magni momenti probe notanda veniunt. Primum est, omnes illos ad tam esse referendos, si Recentiorum senten-

sententiæ velimus subscribere, quando-  
quidem objecta omnia vel per se, ve  
per aliquid a se emissum organa, ner-  
vos scilicet, membranas aut fibras affi-  
ciunt, diversa tamen ratione, quum ocu-  
lus subtilissimas impressiones, minus sub-  
tiles auris, mediocres odoratus & gu-  
stus, tactus vero non nisi crassiores pa-  
tiatur: alterum, quod in singulis organis  
extremæ partes illæ, in quibus impressio  
fit, quemadmodum membranæ, papillæ,  
fibrillæ &c. cum cerebro arctissime sint  
connexæ; unde fit, ut anima in cerebro  
potissimum velut regia sua dominans,  
quum motus illos ibidem percipit, ad  
*sensationes* determinetur, ita ut hæ in  
organis quidem inchoentur, sed in ce-  
rebro perficiantur.

A sensibus exterioribus via patet, li-  
cet abstrusissima & salebris plena, ad  
interiores, qui plerumque tres distingui  
solent, scilicet sensus *communis*, *phantasia*,  
& *memoria*. Primus est ea facultas ani-  
mæ, qua hæc non solum unius alterius  
ve, sed omnium quinque sensuum exte-  
riorum actus & objecta cognoscit, co-  
rumque functiones expendit, atque inter  
se discernit. Hinc si quis vulneretur in  
pede, non in eo duntaxat vulnus percipi-  
bit, sed etiam in capite cognoscit vulnus

in pede inflictum. Alter est phantasia seu imaginatio: hæc est vis quædam animæ, quæ imagines rerum objectarum per sensus exteriores & per interiorem communem cognitarum, etiam dum absunt, excitat, sibique præsentes sistit: non raro diversissimarum ejusmodi rerum species in sinu suo colligit & interesse necit seu apte seu inepte, uti somniantibus contingere solet. Tertius seu memoria, quæ Tullius adpellat *rerum omnium thesaurum*, est facultas animæ, qua hæc imagines rerum præteritarum sedulo custodit atque conservat, & ubi placuerit, vel opus sit, suscitat, ita ut ad animæ nutum fibræ ac spiritus animales incitentur, similesque in cerebro motus cieantur, quales dum primo res percipita fuit, facti sunt. Cætera organum sensuum interiorum, saltem si de animalibus iis, quæ Physici perfecta dicunt, sermo sit, cerebrum est; hoc enim laeso hebetatur vel destruitur vis exercendi actus his sensibus proprios: non minus a Medicis in ejusmodi morbis pharmaca cerebro adplicantur; quin & perpetuum est spirituum animalium per nervos & fibras species deferentium cum hoc organo commercium. Quid autem sint species istæ, inter arcana summa naturæ ejus-

eiusque auctoris supremi referendum est. Sunt, qui existimant, esse omnino minimas & subtilissimas particulas sanguinis purissimi ad primum quemvis motum expeditas, quibus imagunculae rerum ab objectis exterioribus imprimuntur, quæque in cavernulis cerebri quiescunt, donec ab anima excitentur. Sed malo hæc innocenter ignorare, quam imprudenter divinare.



## CAPUT VI. METAPHYSICA.

### §. I.

*Entis natura, & proprietates.*

### XXX.

**D**ecurso Physicæ studio amplissimo ad intim. & arcanissima Philosophiæ adyta penetrare fas est, nempe Metaphysicam, eam scilicet seu artis hujus seu scientiæ seu utriusque partem, quæ *Entis cognitionem & doctrinam complectitur*, primasque notiones & principia ad cæteras disciplinas rite percipiendas necessariæ exponit. Nominis originem

tra-

trahit non ex eo, ut nonnulli perperam existimarunt, quod supra rerum naturantium ordinem ideis suis eluctetur, sed quod agat de iis, quae post rerum naturalium sub sensus cadentium scientiam consequuntur, uti nos docet inscriptio, quam libris suis metaphysices praefixit Aristoteles: *τῶν μετὰ τὰ Φυσικά*. Pertractat enim res a solo intellectu pendentes, & ab omni sensuum commercio remotissimas, nimirum de Entis natura, ejusque proprietatibus & diversis affectionibus, de anima rationali, de spiritibus ab omni materia secretis, immo de Deo ipso ut authore naturæ. Primo igitur Entis ratio est, quod sit illud, cui non repugnat existere, ea lege, ut rebus creatis *existentia* sit omnino contingens, Creatori autem omnino necessaria. Explicant hoc loco paucis Metaphysici, quid rei sit *essentia*, *existentia* & *subsistentia*, quae ignorare sive Philoso pho sive Theologo nefas est: varia item axiomata e natura ipsius entis deponuntur, inter quæ illud præcipuum: certissime affirmari posse id de re quadam, quod in idea clara & distincta ejusdem rei comprehenditur. Sic *existentia* geminæ rei nobis est indubitata: scilicet cuique sua, quum cogitare mens nostra nequeat, quin ex-

existat: deinde Dei, entis summe perfecti, a cuius idea existentiam re ipsa se jungere non valemus. Reliqua vero cuncta vel clare concipiuntur, & tunc existentiam includunt saltem possibilem, quemadmodum alter mundus, vel nequeunt concipi, tumque impossibilia judicantur. Ab entis notionibus pergunt ad varias affectiones illi communes. Præstantiores sunt *verum*, *bonum* & *unum*. Veritas entis consistit in conformatione rei cum cognitione, ita ut res cognitioni sit omnino conformis, eique ideæ consentiat, qua exprimitur: quod si cognitio quoque cum ipsa re penitus conveniat, habetur etiam veritas cognitionis. Bonitas entis metaphysica non in morum probitate, quæ non nisi in res creatas intelligentia prædictas cadit, sed in perfectione posita est, nimirum ut perfecta sit in suo genere, & ad usum finemque serviat, ad quem a Deo authore naturæ destinatur; qui finis quum nobis frequenter sit ignotus, sit, ut singulorum entium bonitas saepe nos fugiat. Demum unitas entis in charactere quodam constituitur, qui facit ens *indivisum in se*, & ab omni alio secretum. Quasdam heic breviter quæstiones & a necessitate & ab utilitate commendandas immiscent Philosophi: *de iden-*

*identitate ac distinctione numerica & specifica: de identitate ac distinctione reali ac formalis, ut scholæ loquuntur, insuper habita virtuali seu Thomistica, quæ in rebus creatis, & secundum multos etiam in divinis, locum non habet; & ex natura rei formalis seu Scotistica, quæ subtile commentarii esse videtur. Non minus alias entium proprietates metaphysica detegit, dum qua ratione ad se referantur, aut sibi opponantur, quisve ordo inter illa sit, quodnam prius, quodnam posterius altero, explanat, vocatque entis relationem, oppositionem & ordinem. Hic varius est: quædam enim tempore præcedunt, quædam subsequuntur. Temporis autem notio, licet omnium animis insita sit, explicari tamen verbis vix potest teste ipso S. Augustino: Quid est ergo tempus? si nemo ex me querat, scio, si querenti explicare velim, nescio (a). Uic tamen aliquid dicamus, finiri potest, quod sit continua, sibique succedens rei existentis duratio: mensura vero temporis a motu astrorum præcipue solis ac lunæ dependet, utpote de quibus dixit Deus per Moysen (b), ut sint in signa & tempora, & dies & annos. Alius ordo est,*

quem

(a) *Lib. II. Confess. c. 14.*

*v. 14.*

(b) *Genes. I.*

quem natura constituit, dum eodem tempore duo simul ponuntur, quorum unum vel est causa alterius, uti sol & lex, vel alia ratione facit, ut quod sibi non sufficit, aliunde existat. Hinc *signa naturae* originem suam habent, Philosophis notissima, & quæstio de mutua naturæ ut vocant *prioritate*. Ad ordinem quoque pertinet locus, quum nullum ens sine loco subsistere queat. Alius est locus *extrinsecus* seu mobilis, dum res quæpiam priorem deserit, & novum acquirit: alias *intrinsecus* seu immobilis, qualis est, qui mundum universum ambit, & spatiū *imaginarium* vocatur, quod Augustino est: *Spatiosum nihil*. Heic utiliter disputant Philosophi de modo, quo res existit in loco, qui modus duplex est, *circumscripтивus* & *definitивus*, item de *replicatione*, qua corpus simul existit in pluribus locis virtute non quidem naturali, sed divina. Porro ad alias entis affectiones explanandas progressitur Metaphysica, dum agit de ente seu universim seu singillatim spectato, quod mirabile sane artificium est intellectus humani, ut modo una idea res inumeras velut nudas complecti, modo distinctis ideis quamlibet suis proprietatibus vestitam exprimere ac considerandam sibi

sibi proponere valeat, id quod ad scien-  
tias rite tractandas percipiendasve sum-  
me necessarium est. Ex hoc ortæ sunt  
quinque illæ famosæ *ideæ universales*, quas  
Porphyrius in libro *Ilлагoge* dicto, &  
Chrysæorio Romano Adolescenti inscripto  
copiose illustravit: nempe *genus*, *diffe-  
rentia*, *species*, *proprium* & *accidens*;  
ubi sese insinuant quæstiones controver-  
sæ de *differentia specifica*, & *individuali*.  
Prætermittis aliis adhuc proprietatibus  
entis ad illius cauſas gradus fit, non  
eas, quas singulares, efficientes & flu-  
xas *Physica*, sed quas *Metaphysica* re-  
bus omnibus communes & primis natu-  
ræ legibus conformes contemplatur. No-  
ta est divisio in quatuor cauſarum gene-  
ra, *materialem*, *formalem*, *efficientem* &  
*finalem*. Nihil enim est in rebus creatis,  
quod non ex materia & forma vel re  
ipsa vel per intellectum componitur: ni-  
hil quod non ad certum finem destina-  
tur: nihil quod non habeat aliud, a quo  
tanquam a cauſa sua efficiente profici-  
scatur. Potissimum hoc in loco disceptari  
solet, num cauſis, quas vocant secundis  
vere insit virtus agendi efficiendique res  
alias. Negarunt veteres Philosophi non  
pauci, Deum circa res se inferiores solli-  
citum esse, sed fato, fortunæ, casui ac  
natiu-

naturæ cursui omnia relinquere: contra Cartesius creatis rebus omnem movendi agendique vim abstulit, prærogativam hanc atque virtutem soli deferens creatori; sed perperam. ad quid enim tantus organorum adparatus, si nihil agunt, si se non movent, si non sentiunt, si non aliquid simile sibi procreant? & quod discrimen inter res vita præditas & illius expertes, si omnia soli Deo agenda relinquuntur? præterquam quod turpe semper visum fuerit Philosopho, ad machinam confugere, præsertim ubi alia caussæ in promtu est.

## §. II.

*Anima Rationalis:*

## XXXI.

**A**b ente cum suis affectionibus & prietatibus considerato Metaphysica ad mentis humanæ naturam & originem ac dotes detegendas deflectit. Est autem mens humana, seu quod eadem res est, anima rationalis nobilissima quædam divinitatis imago, ac velut ejusdem particula, & spiritus omnis materiae contagii expers:

*Igneus est ollis vigor, & cælestis origo.*

ait Poeta (c). Naturam illius & indolem optime produnt quatuor dotes, quibus insignitur, scilicet *spiritualitas*, *libertas*, *indivisibilitas* ac *immortalitas*. Graviter sane allucinatus est Tertullianus, qui eam subtile corpus huic crassiori, quod circumferimus, tanquam vaginæ immersum dixit. Spiritum esse animam satis declarat ejusdem operandi modus, qui teste Philosopho *essentia* mensura est: non enim solum a materia & sensibus maxime remota, uti Angelos, Deum &c. sed etiam futura, possibilia & generalia a singularibus abstracta intellectu scrutatur, voluntate autem spiritalia, quæ sensibus obnoxia non sunt, complectitur, nec ullo bono corporeo, sed solo Deo satiari se patitur, quæ omnia sicut rerum materia constantium sphæram excedunt, ita spiritibus propria sunt. Altera dos est libertas, qua non boni duntaxat & mali scientiam, sed etiam electionem Deus posuit in manu illius: hanc conceptis verbis S. Scriptura tribuit homini (d), *beatum pronuntians eum, qui potuit transgredi, & non est transgressus*. Crudelem sibi tyrannum fingunt Deum, qui hac facultate spoliant animam. Qua enim ratione æquissimus iudex

(c) *Aeneid. 6.* (d) *Eccles. cap. 31.*

dex ad gravissima æternaque supplicia  
damnare posset illum, quem ad ea, qui-  
bus hæc meretur, vel nolentem cogeret,  
& quasi manu sua præcipitem ageret? <sup>?</sup>  
ad quid leges, - poenarum metus, præ-  
miorum spes, si fatali quadam necessitate  
ea quæ facimus, facere cogimur? Ex li-  
bertate oritur tertia dos animæ, scilicet  
indivisus existendi modus, quo ita se dif-  
fundit per universi corporis membra, ut  
partibus insit sine parte, & singulis to-  
tam se communicet: non crescit crescentे  
corpore, non diminuto minuitur: in pyg-  
mæo tanta est, quanta in gigante: pro-  
fecto si in partes divisa foret, vel libera  
non esset, vel peccare una, altera me-  
reri, una damnari, altera fieri salva pos-  
set, id quod rectæ rationi simul ac fidei  
repugnat. Itaque nec coelum plures so-  
les, nec corpus plures animas ratione  
præditas capit. Quarta denique dos est  
animæ immortalitas: Epicurus eam *bullam*  
esse credebat, quæ corpus tantisper  
inflaret, brevi rumpenda & in auras eva-  
nitura. Hinc tritum illud Epicureorum:  
*Homo bulla* (e). Sed longe melius con-  
venit animæ symbolum illud:

*Non est mortale, quod opto.*

Stul-

(e) Greg. Nyssenus disp. de anima & resurrect.

Stultitiae notam certe non effagerent homines, qui delicias & bona fortunae, vitae commoda contemnunt, quin sanguinem profundunt, ubi fides & pietas exigit, si bonis praesentibus simul & futuris destituerentur, dum interea flagitosissimi eadem cum probis forte, communi nempe interitu miscendi forent. reclamat conscientiae vermis, latrans ille cerberus, cui os nullo etiam bolo pinguislmo potest obstrui: reclamat inquam, & quid? Deum esse, qui bonos remuneratur, & malorum vindicem agit justissimum. Qua vero ratione talis esset, quum multi horrendas inter blasphemias sceleratam evant animam, multi contra inter gravissimos dolores & virtutum heroicos actus praesenti vita fungantur, nisi altera in vita daret cuique suum, bene meritis præmia, sceleratis suppicia? igitur aliquo saltem tempore superstes erit anima: si autem aliquo, tunc omni; quum neque deus, qui conservet, nec corpus, quo tunc ad operandum non indiget, nec finis, qui semper adest cum objectis, quibus per intellectum & voluntatem se conjungat, nec quid contrarii, quod destruat, animæ extra corpus existenti interitum minitentur & inferant.

Demonstratis his animæ dotibus Metaphysica porro in ejusdem originem inquirit. Aberrarunt heic toto cœlo veteres quidam sophi: Pythagoras & Euripides, qui animam

*Partem divinæ mentis & hauritus  
Æthereos dixerat (f).*

persuadentes sibi, deum per omnes mundi partes ita diffusum, ut homines & animalia ex eo velut fonte vitam & animam suam haurirent. Stoici & Priscillianistæ ac Manichæi teste D. Augustino & Hieronymo credebat animam hominis esse particulam ex ipsa Dei substantia decerptam. Platonis opinio fuit, animam hominis esse portionem vastissimæ illius animæ, qua mundus universus esset informatus: Errarunt etiam Origines, Tertullianus, Apollinaris & nonnulli Patres Ecclesiæ, existimantes animam rationalem ex parentibus in filios traduci, & cum semine humano transfundi. Verum missis Ethnicorum commentis a veritate prorsus alienum est, animas ea, qua dictum est, ratione propagari: hoc enim modo anima esset quid corporeum, non spiritus, qui utique in partes dividi nequit, ut a patre filio communicetur. Illi, ait

(f) *Virg. Georg. l. 4.*

ait S. Augustinus (g): *qui animas ex una propagari afferunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profecto eas non spiritus, sed corpora esse contendunt, & corpulentis seminibus exoriri.* Non minus absurdum est Wolhi sententia, docentis animas omnium omnino hominum initio mundi simul fuisse a Deo conditas, easque singulas suis inclusas fuisse corpusculis, quæ jam tunc omnia a Deo ipso formata fuerunt (h). Verum hoc asserit absque ratione, absque authoritate: immo contra authoritatem Concilii Lateranensis V. dicentis (i): *Animam rationalem pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter esse multiplicabilem, multiplicatam & multiplicandam.* Quibus verbis satis clare docet, non initio simul omnes animas, sed successione quadam temporis creari atque infandi a Deo: contra rationem, quoniam sicut organis destructis & ad functiones vitales inutilibus anima separatur a corpore, ita illis ad vitæ munera obeunda idoneis creatur & unitur corpori, ut nihil dicam, omnia illa corpuscula organica, animasque iisdem inclusas

(g) Epist. I. 66. (h) Psychol. rational.

(i) Sess. VIII. in Bulla Leon. X.

sas secundum hanc opinionem debuisse jam contineri in alterutro corpore primorum parentum nostrorum. Vel ubi demum animulæ illæ suis conclusæ caveis interea habitassent?

Heic alia sese prodit quæstio, si a frivolis disceptationibus abstineatur, sane utilissima, nempe de commercio inter mentem humanam & corpus intercedente, in quo tanquam vinculo & nexus arctissimo multi unionem constituunt hodie. Videmus certe una ex parte tamdiu corpus vivere, animamque cum illo velut eodem sub tecto habitare, quamdiu partium fluidarum & solidarum mutuo se impellentium vitalis motus perseverat; hoc autem sublato animam excedere e corpore, omnique commercium tolli: ex altera vero istud consistere in miro quodam nec sat explicando consensu utriusque partis, dum certæ mentis operationes cum certis quibusdam corporis motibus, & vicissim conspirant (quemadmodum alibi declaravimus, ubi de sensibus interioribus egimus) ita ut nunc mens a corpore, nunc corpus a mente in suis quodque functionibus excitetur atque juvetur. Hæc ut explicarent Cartesius & Malebranchius, ad causas quas voçant *occasio-*  
*nales* confugerunt, docentes, ex occasio-

ne imaginis cuiusdam corporeæ, a re ob-  
jecta excitatae in cerebro, similem sed  
corporis expertem ideam in anima pro-  
creari; vicissim vero ex occasione certæ  
cuiusdam ideæ in anima progenitæ affe-  
ctionem quandam ac motum in corpore  
producere, ita tamen, ut neque mens ne-  
que corpus vim ullam aut fluxum in se se-  
exerceant, sed solus deus sit, qui occa-  
sione factarum a foris impressionum, &  
ideas in anima, & in corpore motus effi-  
ciat. Wolfius vero Leibnitium auctorem  
secutus commercium hoc, de quo agi-  
mus, per harmoniam præstabilitam seu  
per seriem perceptionum in mente, ac  
motuum respondentium in corpore cona-  
tur explanare, ea tamen ratione, ut per-  
ceptiones & appetitiones (k) in anima eodem,  
quo nunc, modo consequentur,  
etiamsi corpus non existeret: atque adeo  
anima eodem etiam, quo nunc modo sibi  
repræsentaret hoc universum, etiamsi mun-  
dus aspectabilis non existeret. Idem sentit  
de corpore ejusque motibus ad mechani-  
cas leges compositis: atque ita partes istæ  
mirum in modum inter se dissidentes,  
corpus scilicet & anima, neutra in serie  
operationum suarum ab altera re ipsa pen-  
deret, sed per harmoniam duntaxat, mu-  
tuum.

(k) In Psycholog. ration. §. 614.

tuumque consensum conspirarent. Verum utraque hæc opinio humanæ libertati est oppido infesta. Qua enim ratione stat integritas libertatis, si hominis mens omni virtute agendi exuatur, quemadmodum sit in hypothesi Cartesiana? aut si impedire nequeat harmoniam illam Leibnitianam atque consensum, utpote nefarium, quum nulla pars in serie suarum operationum pendeat ab altera? Quapropter commercium hoc in eo possum esse videtur, quod anima in corpus, & corpus agat in animam ita, ut immutata unius conditione, affectionibus, actionibusque alterius etiam conditio, affectiones & actiones immutentur, cum hac tamen animæ prærogativa, ut corpus functionibus suis famuletur menti, & licet juvare, inclinare, impellere, ac non raro secum abripere quasi nolentem possit in multis, anima tamen in iis, quas voluntarias & liberas appellant, actionibus eidem dominetur, utens libertatis dono cœli benignitate sibi concesso. Hac de anima corporis humani Domina: nunc præcipuæ illius facultates seu potentiae, scilicet intellectus & voluntas, considerandæ veniunt, quas ut ab anima distinguerent, Thomistica schola necdum aliis persuasit, quum eadem sit, quæ intelligat,

gat, eadem quæ velit! Est autem intellectus ea virtus animæ, quæ res quasvis sibi objectas percipit atque cognoscit: qua vero id ratione fiat, non adeo promptum est definire. Cartesiani negant omnem humanæ menti vim rerum ideas in se formandi; sed eas quasi prima cognitionum semina initio statim inditas esse credunt, ita tamen, ut a corporeis imaginibus, dum res quæpiam cognoscitur, excitari debeant: contra vero Peripatetici, apud quos axioma civitate donatum est: *nihil esse in intellectu, quod prius non fuerit in sensu*, ut ait Aristoteles (1), cognitionem ab exterioribus sensibus ortum habere suum arbitrantur, dum intellectus ab imagine cerebro impressa, quam phantasma vocant, speciem aliquam a materia abstractam, & puriori luce perfusam elicit, quæ spiritus naturam & indolem consequatur. Sunt tamen, qui quasdam ideas innatas negati vix posse censem, non ab alio, quam a Deo ipso in mente productas, quoniam nulla sensuum ope acquiri posse videntur, quemadmodum idea entis generatim spectati, entis infiniti &c. quorum speciem haud alia præter Deum res continet. Verum & has primum nasci ex aliis rerum creatarum ideis fortasse melius affirmant alii.

(1) *Lib. 3. de anima.*

alii. Intellectum sequitur voluntas seu facultas animæ, qua aliquid appetimus vel aversamur. Ea enim est indoles humanæ mentis, ut bonum appetat & prosequatur, ac nulla ratione aversari ipsum queat, quatenus bonum est: contra malum ita aversetur, ut illud velle quatenus malum est, minime possit. Notum est S. Dionysii effatum: *Nemo intendens ad malum operatur.* Præcipuum voluntatis cimelium est libertas, quam duplice illi tribuunt Philosophi, scilicet a *coactione*, & a *necessitate*. Prima facit, ut quod adtinet ad actiones proprias & internas eliciendas v. g. amorem, vel odium, nulla vis exterior eidem possit inferri; altera vero, ut immunis quoque sit ab omni vi interiore, diciturque *libertas electionis*, sive *liberum arbitrium*. Hinc licet allici possit aut abstineri voluntas propositis in unam vel utramque partem momentis, liberrimam tamen potestatem habet rerum eligendarum. Nihilominus pendet voluntas ab intellectu, ita ut nec velle quidquam nec nolle possimus, si non rei illius cognitio aliqua præcesserit, quam præviam dicunt. Unde intellectus voluntati faciem præferre dicitur, secundum vulgare illud proloquium: *Nibil volitum, nisi præcogitum, & ignoti nulla cupido.*

## §. III.

*Spiritus, eorumque dotes.*

## XXXII.

Jam vero altius ascendit Metaphysica, & considerandis ab omni materiae contagione liberis spiritibus se se applicat. Per hos intelliguntur Angeli tum boni, seu Genii cœlestes, tum mali seu dæmones. Existere autem Angelos seu Spiritus quosdam oculis nostris haud cernendos fides nos docet, quam debemus S. Scripturæ: quin etiam gentiles Philosophos ac Sapientes res hæc minime latuit. Nam fœquens apud Aegyptios mentio *Geniorum* occurrit: non minus Plato, Aristotleles, Socrates, & alii særissime *Geniorum & Intelligentiarum* nomine Angelos insignivere, accepta utique a majoribus suis notitia, omnium æstatum testimoniis atque consensu comprobata. Originem eorum Moses quidem non prodidit, Concilium tamen Lateranense definiuit, dum hunc in modum loquitur (m): *Creator omnium invisibilium, spiritualium & corporalium, sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis* (scilicet quo cœlum & terram creavit)

(m) *Decret. lib. i. cap. firmiter.*

vit) utramque de nibilo condidit natu-  
ram spiritualem & corpoream, Angelicam  
videlicet, & mundanam, ac deinde  
bumanam, quasi communem, ex spiritu  
& corpore constitutam. Quamvis autem  
Angelorum eadem sit natura, dignitas  
tamen diversa est: hinc Ecclesiæ Patres  
non sine Numinis afflatu triplicem inter  
eos Hierarchiam statuunt, supremam,  
medium, & infimam, quarum quamlibet  
in tres denuo spirituum ordines seu cho-  
ros distinguunt. In prima locum adsi-  
gnant Seraphinis, Cherubinis & Thro-  
nis, Divinitatis ut ita dicam lateri sem-  
per adhærentibus: in altera Dominatio-  
nibus, Virtutibus & Potestatibus, ora-  
cula supremi Regis excipientibus & au-  
lam cœlestem regentibus: in tertia Prin-  
cipatibus, Archangelis & Angelis, po-  
pulorum Präfides, arcanorum nuntios,  
& hominum custodes agentibus. Con-  
diti autem sunt non in *termine* vitæ  
beatæ, ut loquitur Doctor Angelicus,  
sed in *via* ad illam, a qua tamen ma-  
gna pars eorum unico superbiæ delicto  
excidit antesignano Lucifero, & in ma-  
los seu Cacodæmones migravit. Por-  
ro Angelorum ea est natura, ut sit sub-  
stantia pure spiritualis secreta ab omni  
materia; creata tamen & completa, qua  
ultima

ultima dote ab anima rationali differt, utpote quæ ad constituendam naturam integrā & completā, nempe hominem, corpus exigit, quod intime sibi jungatur. Evidēt fuerunt non pauca veterum Patrum Graecorum & Latinorum, qui existimabant, Angelos esse veros spiritus, sed corporibus tenuissimis seu aereis seu igneis veluti vestitos & involutos; quam opinionem e schola Platonis tunc famosissima hauserunt. Verum horum cœlestium Geniorum naturam non satis adhuc cognitam detexerunt posteriora secula, præsertim in Concilio Lateranensi, cuius paullo ante memini. Et ad quid purissimos spiritus istos corporea mole oneremus, quum omnes eorum functiones, quæ sunt intelligere, velle, ac movere, tali appendice haud quam indigeant? Intelligunt autem Angeli idearum ope a Deo infusarum primo, quo creati sunt momento, & quidem modo supra humanum intellectum longe perfectiore, non ratiocinando vel inferendo unum ex altero, sed velut intuendo cuncta penetrant, si cordis arcana excipias, quæ solis divinis oculis patent. Si quæras, qua ratione loquantur inter se, dum eo carent organo, quo nos homines utimur, respondet D. Thomas,

mas, hoc fieri *dirigendo conceptus suos*, ita ut dum unus propriam cogitationem alteri vult innotescere, statim in posterioris mente eadem cogitatio excitetur, quod quoties ex divinæ providentia ordinis quodam fit, mutuum absque lingua sermonis commercium exercent. Quemadmodum vero Angeli intra temporis, ita & intra loci limites continentur, non quidem ut eo instar corporum circumscribantur, sed ita definiuntur, ut toti loco sint præsentes, simul & in singulis ejus partibus existant. Non minus ab uno in alium moventur locum: motus tamen iste neutiquam patitur eas leges, quas corpora observant. Quippe Angelus celerrime iter suum prosequitur, nec ullo corporis obice retardari potest, nec opus habet, ut per spatiū intermedium transeat, si ab uno in alium locum sese transferat; sed sicuti anima, licet corpore, cui affixa est, non egrediatur, cogitatione tamen nunc in hoc mundi angulo, nunc in illo versatur, ita Angelus re ipsa sit ibi, ubi cogitat & vult esse præsens, mirabili sane non corporis, quo caret, sed mentis suæ motu, quod tamen intra potentia limitibus suis constrictæ sphæram intelligi oportet.

## §. IV.

*Deus Author naturæ.*

## XXXIII.

**D**enique supra se ipsam , licet viribus  
duntaxat naturæ respondentibus, ele-  
vata ad ipsum Deum tanquam primam  
rerum omnium caussam contemplandam  
se se convertit Metaphysica, ita ut iis so-  
lum se occupet, quæ de Deo lumine na-  
turali possunt investigari. Omnia pri-  
mum est negotium , ut demonstret con-  
tra Atheos, existere Deum, id quod præ-  
stat adductis in medium argumentis tum  
moralibus tum physicis, tum metaphy-  
sicis, v. g. ex admirabili totius mundi  
fabrica , dispositione ac ordine , quod  
opus utique non easu coaluisse dici pot-  
est, sed potentissimum sapientissimumque  
Artificem ac Gubernatorem manifeste pro-  
dit : ex ente necessario , & contingente  
seu ex indigentia existentiæ , quam res  
omnes creatæ a se ipsis habere neque-  
unt ; igitur ab alio non indigente , sed  
per se existente ac necessario : ex per-  
petuo constantique nationum ac populo-  
rum consensu , cui refragari non est nisi  
hominis mente capti : ex interiore ani-  
mæ ac conscientiæ testimonio, quod nos  
cogit


eogit supremum quemdam malorum vindicem timere, & bonorum largitorem colere, in extremo mortis periculo soterem invocare. Nonnulli etiam cum Cartesio ex idea clara, distincta, necessaria & immutabili, quæ de ente summe perfecto & illius existentia nobis est indita ab ipsa natura, Deum demonstrari non sine omni fundamento existimant. Demonstrata vero Dei existentia, posita que illa Divinitatis notione, qua omnes Dei nomine intelligimus *Ens in omni genere summe perfectum*, reliquæ perfectiones, quæ *Attributa* Dei solent adpellari, facile deducuntur: I. *Esse unum*. Nam ea entis summe perfecti conditio est, ut ab alio adæquari nequeat: vel si adæquetur, summe perfectum esse jam desinat. Quapropter *Deos esse multos perinde est*, ac nullos dicere, acute scribit Athanasius (n): II. *Deum esse Spiritum, eumque simplicissimum*; quum enim sit ens in omni genere summe perfectum, nequit esse corpus, utpote quod in multis deficere cernimus: neque compositum. Nam *in quolibet genere*, ait Doctor Angelicus (n): tanto aliquid est nobilior, quanto simplicius: nobilissimum

igit

(n) *Lib. contra Gentil.* 18.

igitur ens in omni genere, simplicissimum quoque oportet esse. III. *Omnia posse, omnia scire.* Si enim aliquid, quod non repugnat, facere non posset, hoc in genere non foret summe perfectus: si autem esset aliquid, quod nesciret, quia ratione illud posset perficere? IV. *Essē immensum & æternum;* exigit enim summa perfectio ejus præsentiam in omniam loco quam tempore, quum in omnī loco & tempore omnia & in omnibus operetur. V. *Nec posse mutari.* Quum ens summe perfectum nec in melius ne in pejus mutari queat. VI. *Essē summe verum, summe bonum, justum, misericordem, providum, infinitum &c.* quia in omni genere summe perfectum, atque ita nec ullis limitibus circumscribendum. Cætera quæ Deum concernunt, Philosophia Theologiæ, cui sedulo famulatur, examinanda lubens relinquit: ipsa vero suos intra fines Logicæ nimirum, Physicæ ac Metaphycæ, quorum hucusque brevem synopsin dedimus se se continet. Superest modo nobilissima Philosophiæ pars, scilicet *Etbica seu Moralis.* Dum enim priores ejusdem partes faciunt nos scientes, hæc sapientes efficit, immo homines. Nam absque ea neque humanum commercium neque

que consortium firmo pede potest consistere. De hac igitur sit



## C A P U T VII.

### ETHICA SEU PHILOSOPHIA MORALIS.

#### §. I.

*Ejus origo ac partitio.*

#### XXXIV.

**Q**uemadmodum Dialecticæ institutum est, ut intellectum dirigat ad veritatem indagandam, & consequendam, ita Ethicæ officium est, ut voluntatem ad morum honestatem sectandam comparandamque velut manu ducat. His enim duabus humanæ vitæ potentiis, intellectu & voluntate, rite conformatis prodibit opus numeris suis absolutum, scilicet *homo*, qui sine veritatis luce, sine honestate vitæ a brutis vix differt; certe nomen hominis tam sublime, ac supra res omnes inferiores dominans non meretur. Hoc inter Dialecticam Ethicamque discrimen simul ac comparatio-

nem disertis verbis docuit Tullius (o): *Una pars Philosophiae differendi, altera vivendi.* Origo autem nobilissimæ hujus scientiæ merito ad Socratis ævum refertur: hic ubi præcedentes se Philosophos in rerum natura vestiganda, illæque quæ extra hominem sunt, cognoscendis & explicandis totos esse conspexit, ipse ad sui curam & culturam, moresque hominum formandos sese convertit incredibili studio, & fructu eo majore, quo latius postmodum propagato. *A Socrate*, inquit idem Tullius (p) omnis, quæ est de vita & moribus, *Philosophia manavit*. Et vero tantam labore illæhoc suo admirationem plausumque apud omnes Vir iste consecutus est, ut familiare quoddam Numen adsistere ipsi existimarent: Plato *Genium* vocabat: Tertullianus (q) & Lactantius (r) dicebant verum fuisse *dæmonem* seu *spiritum*: Maximus Tyrius secretum quemdam *conscientiæ ductum* credebat, quo promovetur ad bonum, & a malo avocaretur. Sunt qui Socratis ipsius commentum ad majorem sibi fidem faciendam fuisse censem, quemadmodum Legislatores quosdam, uti Numam Pompilium, Minoem &

(o) *Lib. 5. de fin.* (p) *Lib. 3. Teſcul.*(q) *In Apolog.* (r) *Lib. 2. Instit. c. 24.*

& Lycurgum arcana cum Diis aut Deabus commercia ad authoritatem legibus a se conditis conciliandam finxisse memoriæ proditum est. Certe Socrates philosophiam, in cœlis & elementis hucusque peregrinantem, illinc ethica sua scientia in domos & civitates abduxisse dictus est. Numeravit autem post se tot Instituti sui cultores, quot Philosophos, qui tunc relicta mundi hujus sterili contemplatione morum doctrinæ totis viribus se impenderunt. Inter hos eminuit Plato, qui ædificium a Socrate Magistro cœptum perfecisse visus est, dum per suas, quas immiscuit ideas, quamlibet virtutem ad eum, ad quem evehi potuit, supremum apicem deducere conatus est eo ipso tempore, quo caput erexerunt Sophistæ, qui in mores æque ac in rationem grassabantur, quales fuerunt omnium calculo Protagoras & Diogenes, quorum postremus minimum potius in regno morum, quam Magistrum se præbuit; nam paupertatem quam profitebatur, ingenti fastu, & moderationem animi maledicentia grandi corrupit, plusque illi nequitia in dolio, quam sapientia in cerebro fuit. *Cynicorum natio* ait Cicero (s) *inimica verecundia*. Verum Plato

Plato hæc vitia emendavit in sua morali doctrina, cuius fundamentum firmissimum posuit opinionem de immortalitate animæ, quam ipse a Socrate, hic a Pythagora, iste ab Ægyptiis, hi ab Abrahamo per Ægyptum peregrinante hauserunt. Atque ex hoc fundamento alia facile principia mores concernentia deduxit, quibus virtutem potenter commendabat exspectatione præmii, & a vicio deterruit proposito pœnæ metu. *Plato multa dicit de immortalitate animorum, & reliqua post mortem tranquillitate bonorum, panis impiorum (t).*

Sat si mo pede consiltere videri potuit Viri hujus Ethica, si non eam Stoicorum & Epicureorum secta magnis ausibus eversum ivisset. Stoici quidem dulce ac capite Zenone teste Tullio (u): *Summum bonum nulla in re nisi in natura quærendum esse docuerunt, ita ut beate vivere idem ipsis esset, ac secundum naturam vivere.* Præterea eodem teste placuit Stoicis omnia peccata esse paria: tranquillitatem vero mentis in eositam esse credebant, si hæc ad bonum æque ac ad malum exterius se haberet, & in rebus omnibus seu prosperis seu adver-

(t) Cicero l. 2. de Leg. (u) Quæst. Acad. l. I. & l. 4.

adversis nullum quasi sensus indicium,  
certe quemdam sensus stuporem præse-  
ferret, quam Græci Apathiam vocant:

*Si fractus illabatur orbis,  
Impavidum ferient ruinæ.*

Ita regnum sapientiæ nescio quod, pro-  
fecto imaginarium, sibimetipsis condide-  
runt stoici, quos Zeno mundi Dominos  
adpellare consuevit, eamque adfectorunt  
*sapientiam*, quam abduc nemo mortalis est  
*consecutus*. Aliam inivere viam Epicurei,  
quorum Princeps Epicurus multa quidem  
severe, multa præclare dixit, patrocinium  
tamen voluptatis sensus moventis non raro  
suscepisse, & sine hac summum posse bo-  
num obtineri negasse videtur: sunt tamen,  
qui non corporis sed animi se ipso contenti  
voluptatem exoptasse illum censem. Id  
certum, sequaces Epicuri ejus doctrina  
morali ad omne genus luxuriæ ac delicia-  
rum fuisse abusos. In qua re vero sum-  
mum bonum consistet, postea tot quæ-  
stiones a Philosophis excitatæ fuerunt, ut  
Varro teste D. Augustino (x) fere ducen-  
tas & octoginta octo diversas opiniones  
numerarit. Sic nobilissimam quæstionem,  
& totius Ethices principium involverunt

po-

(x) *Lib. 19. de Civit. Dei cap. 1.*

potius tenebris & erroribus, quam explicarunt. His omnibus longe saniorem Ethicam excoluit Aristoteles, uti ætate, ita etiam sapientia reliquos supergressus. Quippe Platonis principia & oeconomiam sequutus (nam idem finis erat utriusque, eadem rerum expetendarum partitio) (y) Scientiam hanc ope Analyticæ adeo sibi familiaris in methodum certam non minore ingenio quam industria redegit. In hac per notiones admodum claras optime distinxit non solum inter virtutem publicam & privatam, sed etiam inter prudentiam Principis in constituenda republika, & inter prudentiam patrisfamilias in gubernatione domus. Unde nata est divisio vulgata Ethicæ in *Ethicam* proprio nomine dictam, quæ privatim cujusque animum ac mores informat: in *Oeconomicen* seu quæ familiam componit: & in *Politicen*, quæ cætus congregationsque popolorum regit.

Porro Ethicam suam Aristoteles decem libris (seu ad Nicomachum filium scriptis, seu ab ipso Nicomacho conscriptis) complexitur, statuendo finem ultimum, & media ad illum perveniendi. In primo dari aliquam beatitudinem, cuius homo capax est, multis argumentis docet: in reliquis

octo

octo subsidia declarat, quibus homo ad illum promovetur: in ultimo demum ostendit, quod beatitudo hæc in actione nobilissima consistat, qua ad summum ac perfectissimum bonum sese convertat. Fateri oportet, in Aristotelis morali nihil esse methodo doctrinæ; adeo ad leges analyticæ exacta est; multum vero pietati ac disciplinæ morum. Quippe non desunt viri magni, qui censem, Aristotelem ad popularem sensum se accommodasse, in hac vita duntaxat quæsiisse beatitudinem: alteri nihil reliquiss, quum tria statuat bonorum genera, animi, corporis & vitæ: docuisse virtutem in mediocritate positam, nempe inter duo extrema, ex quo consequitur, moderate quibusvis voluptatibus corporis uti licere: fortitudinem versari circa terribilia non quævis, sed in periculis bellorum, qua ratione nec Martyres, nec viri pro republica mortem obeuntes vere fortes dici possent: magnanimitatem sitam esse in cupiditate magnorum bonorum, quum potius in honoribus contemnendis quam expectendis conspiciendam se præbeat &c. Non minus Cicero, qui omnium ante se Philosophorum moralium doctrinam & opiniones scite refert, hac in re plane desultorius est, & plerorumque errorum participem se reddit, dum

modo hujus, modo illius de virtutibus & vitiis, de fine bonorum & malorum, sententiis maxime contrariis adhærere videtur.

## XXXV.

Sed quid mirum, allucinatos suisse hoc in negotio Gentiles, utpote veræ fidei luce destitutos, qua deficiente virtutis potius umbram sectati sunt, quam ipsum corpus? Quid mirum, quod a fine scilicet summo bono multum aberrarint, quem non penitus, vel omnino non cognoverunt? adjumenta illum consequendi talia statuerint, quæ non ad eum ducunt, sed magis per avia & invia abducunt hominem a fine suo ultimo? ejusmodi principia stabilire conati sint, quæ cum principiis Christianismi, & prima morum regula pugnant? Certe omnis morum doctrina, quam excoluerunt Pagani, ubique aliquid grande, elatum & sublime, ne dicam sæpe vanum & superbum præfert, dum Christiana per modestiæ, sinceritatis & proprii comodi contemptus professionem se commendabilem reddit. Et vero totum veteris hujus Philosophiæ moralis ædificium subtrahito veluti fundamento subvertit Æterni Patris Verbum, & ipsa Veritas ac Sapientia Christus Jesus illo sermone, quem ad disci-

discipulos in monte habuit, quove beatos pronunciavit pauperes spiritu, humiles, mites, misericordes, lugentes &c. Ex hoc fonte hauserunt admirabilem suam morum disciplinam Apostoli, quam quum Gentiles frustra imitari conarentur, in novos errores inciderunt, præsertim ostentationem & vanitatem. Severitas morum & tolerantia, qua Christiani utebantur, in Stoicorum sensa eos præcipites dabat. Sestabantur nomen virtutis, sed ad ipsam virtutem haud pervenere. Hanc melius docuit, & vivis characteribus expressit primorum Christianorum vita simplex adhuc & pura, nec obnoxia pravis affectionibus. Contempserunt enim dignitates, opes ac voluptates: ignoscabant facile inimicis, quin & diligebant eos, a quibus odio habebantur: nulla in iis fastus aut intemperantiae nota, nulla ambitio: Humilis ubique vitae conditionem sunt amplexi: charitatis vinculo tam arcto inter se colligabantur, ut non solum omnia bona corporis inter eos essent communia, sed etiam cor unum & anima una esse viderentur. Interea ob veræ fidei odium a saevientibus in se tyrannis & lictoribus non tam ad tormenta & necem rapiebantur, quam ipsi properabant plusquam heroica fortitudine, & e vita mortali crudelissimis modis

modis exturbabantur læti, quia certi, corona immortalem in altera se adepturos, & summo bono se perpetuo fructuosos. Hæc quotidie spectabant Pagani, ignari qua e schola admirabilem hanc morum disciplinam hauserint Christiani: hinc nescio quibus præstigiis & incantationibus eorundem constantiam, fortitudinem, aliasque virtutes adscripsere. Nolim tamen hæc ita intelligi, ac si Veterum Philosophorum Ethica omnino foret superstitionis, fallax, vana, & idcirco penitus contemnenda. Absit, multa eaque præclara morum principia naturæ lumen & pertinax, quod impendebant, studium ipsis detexit, quemadmodum in Platone ac Aristotele cuivis pater, quorum alter methodo construendæ, prior affectibus censis plurimum operæ dedit, & dum ille intellectum convincere, hic voluntatem expugnare conatus est. Monstret igitur morum Magister Christianus discipulis suis, leges quasdam honestatis admodum puras, & principia vivendi sublimia in illis Auctoribus contineri, ita ut intelligent, virtutem non esse merum nomen, neque officia religionis vitæque civilis esse inventa quædam humana & politicas artes ad multitudinem intra limites moderationis & obedientiæ continendam: sed simul

osten-

ostendat, has omnes leges, morum præcepta, & hominis officia intra naturæ sinum esse inclusa, & dei tanquam naturæ authoris supra hominem molitionibus accenseri debere: præsertim vero adjungere ac immiscere studeat ea principia, quæ lex Evangelica suppeditat, eo magis sincera, quo e fonte puriori, doctrina scilicet ipsius Dei-Hominis, Apostolorum, primorumque Christianorum manarunt, & exemplis sublimissimis stabilita fuerunt. Qua in re nostris etiam temporibus & in media Evangelii luce haud desunt in Anglia, Gallia, Germania, qui denuo in Veterum quorundam errores non sane leves cæci prolabuntur, quum in scriptis librisque suis, illecebrarum linguæ ac styli plenis, doctrinam morum vendant atque propinent, maxime juvenibus, talem qua non tam boni sint, quam esse appareant, & corticem frangere discant, nunquam vero ad nucleus penetrant. Abstinentes enim a fundamentis veræ religionis vitæque christianæ, mortuam quandam virtutis effigiem, non ipsam virtutem exhibent, ad exteriores speciem mores componere docent, incurii culturæ interioris; & artibus instruunt, quibus magis aliorum indolem explorare, quam nosmetipos intime nosse liceat: denique rationibus illis supersedent,

&amp;

& incitamentis sublimibus ac supra' natu-  
ram positis, quibus ad virtutem amplecten-  
dam, vitamque placitis divinis ac legibus  
christianis conformandam impellamur.

## §. II.

*Ethica seu Monastica.*

## XXXVI.

**U**t autem proprius ad institutum nostrum accedamus, brevi calamo delineare juvat, qua methodo, quove ordine nobilissima hæc Philosophiæ pars seu morum scientia in bene ordinatis Catholicorum scholis pertractari soleat. Atque imprimis meminisse oportet illius, de qua nuper dixi, hujus disciplinæ distributionis in *Ethicam seu Monasticam*, quæ sui cu- ram gerit, & mores hominis informat: in *Oeconomicam*, quæ familiæ regendæ modum tradit, & mutua conjugum, pa- rentum, liberorum, Dominorum ac ser- vorum erga se invicem officia exponit: in *Politicam seu Civilem*, quæ optimam rem publicam instruit, ejus recte gubernandæ rationem profert, eoque hominem dirigit, ut bono communi ac reipublicæ utilitatî tanquam membrum corpori servire discat. Jam vero *Ethica seu Monastica* primo loco agit

agit de bono tum universim, tum specia-  
tim considerato: bonum universim est id,  
quod omnes adpetunt, quoniam ubique  
ratio vel species saltem boni queritur. quis  
enim non abhorret a malo, quod tanquam  
malum ipsi proponitur? Est autem bonum  
aliud supremi ordinis, quale solus Deus  
est: alia bona sunt inferioris, uti bona  
corporis, bona animi, & bona fortunæ.  
hæc vero dicuntur bona, quatenus ad  
finem supremum perducunt: secus si ab  
eo abducant, mala sunt. Porro quam-  
vis fines peculiares sint sine fine, unicus  
tamen est, quem *ultimum* dicunt, & ad  
quem omnia referri debent, uti probe  
agnovit ipse Aristoteles (2). Si enim nul-  
lus esset ultimus finis humanæ vitæ, ap-  
petentia illa, quam cujusvis menti natu-  
ræ author impressit, irrita foret & in-  
anis, quum nunquam satiari, nec in re  
ulla quietem invenire posset: non in di-  
vitiis, uti existimant homines avari, quo-  
rum Deus est Mammon. hæ enim in vita  
plerumque sunt irritamenta malorum, &  
in comitatu suo habent curam servandi,  
augendi sitim, atque metum amittendi;  
in morte vero tanquam spolia ridentibus  
sæpe ac ingratiss hæredibus, aliisque har-  
piis sunt reliquendæ: non in honoribus,

ut

ut credunt ambitiosi; quippe horum ratio pendet ab opinione hominum semper lubrica & instabili, ut plurimum fallaci, ac in extremam non raro ignominiam desinunt, & cum vita veluti fumus igne subtracto evanescunt: non in potentia, ut sibi persuadent Politici quidam; ut pote quæ nunquam est sine satellitio curarum ac timorum, protegit malos, bonis nocet, & non raro viam sternit Principi ad ruinam.

*Tolluntur in altum,  
Ut lapsu graviore ruant.*

Non in voluptatibus corporis, uti perperam jactant Epicurei; quoniam hæ sunt communes brutis, corpus enervant, rationem opprimunt, & in fædissima quæque scelera præcipitant: non denique in ipsa virtute, quemadmodum multis explicant Stoici, quum virtus duntaxat via sit ad veram felicitatem, quæ proemium est virtutis, & hac prædicti ad ulteriora sublimioraque bona sibi comparanda suspirent. Atque ex his facile patet, supremum ultimumque finem ac felicitatem numeris omnibus absolutam in solo Deo positam esse; hic enim quum summum bonum sit, velut in sinu suo omne bonum complectitur, & quidquid boni est,

in

in eo inveniri potest, nec quidquam mali admixtum habet, uti habent cuncta, quæ extra ipsum vagantur, bona: ex quo consequitur, solum Deum satiare posse appetitum rationalem, dicente Augustino: *Fecisti nos Domine ad te, & irrequietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

Nunc post bonum hactenus explicatum plana via est ad mali naturam intelligendam. Hoc enim est, quod omnes fugiunt, si ut malum proponitur, & externa species boni, quam sœpe præfert, velut larva detrahatur. Contingit enim non raro, ut malum vocetur bonum cum appendice: *bonum apparenſis*. Ut autem ratio mali penitus iniiciatur, malum est quod bono, & verum malum, quod summo bono opponitur: unde morbum, paupertatem, ignominiam, bellum, pestem, mortem mala dicimus, quatenus adversantur bono sanitatis, opulentiae, honoris, affluentiae, pacis, vitæ, quamvis hæc omnia inter bona recensenda sint, si ad summum bonum acquirendum nobis serviant; si vero ad hoc amittendum, malis merito adnumerentur. Quemadmodum igitur unicum est verum & summum bonum, scilicet Deus, ita unicum est verum & summum malum, nempe peccatum, quod solum Deo opponitur: reliqua enim ma-

la hic velle potest tanquam instrumenta, quibus homines ad se utpote ultimum finem adducat; peccatum autem nunquam velle potest, quod ab ultimo fine abducit, sed permittere duntaxat, constituto semel humanæ libertatis regno.

Hæc de bono & malo universim spectato: jam de utroque speciatim considerato agendum. Quamobrem Ethica virtutes morales proponit, quibus finis ille, de quo dixi, obtinetur, nec omittit virtus contraria, quibus perditur. Illarum plurimæ sunt, quæ tamen ad quatuor principes reducuntur, quas *Cardinales* appellant. Prima est *Prudentia*, & quidem merito suo, quoniam virtutes reliquæ omnes si extra prudentiæ fines evagantur, virtutes esse desinunt, & potius in virtutis degenerant. Hæc docet in omni occurrente negotio ductum rectæ rationis & honestatis sequi, ita ut quæ cogitamus, loquimur vel agimus, tiant circumspecte ac cum præmeditatione, sic prosequendo bona, ut assequamur; mala fugiendo, ut evitemus. Sed melius intelligitur ejus indeoles ex actionibus sibi propriis, quales sunt inquisitio mediorum ad finem conducentium, corundem delectus, & vis illa, quæ executioni mandet ea, quæ maturo judicio constituta fuerit.

fuerunt; ad quæ opus est vel maxime memoria præteritorum, intelligentia præsentium, & providentia futurorum. Ejus filia præclarissima est moderatio iudicii, quam *directionem* vocant; quandoque etiam epikria seu æquitas, ad quam legislatoris mentem revocamus & benigne interpretamur. Late autem regnat Prudentia, extenditque se ad monastica circa sui ipsius regimen: ad œconomica circa bonum familiæ, ad politica circa Principis erga subditos, & subditorum erga Principem officia: ad Polemica circa militem in disciplina continendum, & Ducem cautum ac providum faciendum &c. Peccant vero contra virtutem hanc seu per defectum seu per excessum vecordes, præcipites, versipelles, inconstantes & negligentes &c. Proximum post prudentiam locum obtinet *Justitia*, cui elogium hoc tribuit Philosophus (a): *Quod sit præclarissima virtutum, & neque Hesperus neque Lucifer sit adeo admirabilis.* Hæc fines admodum latos habet, & distribuitur in legitimam seu *Legalem*, quæ partem ordinat ad totum, facitque ut membrum communitatis exequatur ea omnia, quæ ad bonum commune pertinent: in

Com-

(a) *Lib. 5. Ethic.*

Commutantem seu *Commutativam*, quæ pars parti se accomodat, neminem la-  
dendo, & suum cuique tribuendo: in Di-  
stribuentem seu *Distributivam*, quæ to-  
tum indulget parti, seu honores, bene-  
ficia, munera & magistratus distribuendo  
pro cujusque meritis, seu in noxios &  
sceleratos animadvertisendo, quod ulti-  
mum dum facit, vindicans sive *Vindica-  
tiva* proprio nomine adpellatur. Cætera  
amplum virtutum comitatum post se tra-  
dit, scilicet Religionem, qua debitum  
Deo cultum & honorem exhibemus: pie-  
tatem, qua parentes, patriam & muni-  
cipes complectimur: observantiam erga  
maiores vel ætate vel dignitate ac vir-  
tute præcellentes: gratitudinem, quam  
in bene de nobis meritos exercemus: li-  
beralitatem, qua non solum nobis, sed &  
aliis prodesse studemus elargiendo facul-  
tates: veritatem, qua quis verbis & fa-  
ctis talem se demonstrat, qualis est, ita  
ut cor, os, & opus conspirent: amici-  
tiam, quæ mutua est duorum vel plu-  
rium inter se benevolentia, certis legi-  
bus finita, quas qui transgreditur, ami-  
citiae vinculum solvit. Atque ex his vir-  
tutibus vicia Justitiae opposita intelligere  
licet, nempe superstitionem, impietatem,  
irreverentiam, ingratum animum, prodi-  
gali-

galitatem, avaritiam, fraudem & fallaciam, malam fidem &c. *Temperantia.* Hæc strictim accepta moderatur voluptatem, quæ gustu & tactu percipitur: late vero sumta cupiditates atque affectiones quasvis minus ordinatas temperat & restringat, præsertim eas, quæ homini cum belluis communes sunt. *Præclaras autem comites* habet, quarum ministerio in omnes pravas cupiditates dominatur; nimirum abstinentiam & sobrietatem, queis oblectationem immoderationemque in cibo & potu castigat: internos animi motus ex ira vel vindicta ortos mansuetudine, externos vero corporis pudori adversantes aut omnino lascivos continentia coercet: affectiones alias extra orbitam saltantes lege necessitatis & honestatis circumscribit. Denique temperantia Eutrapeliam sibi familiarem habet, dum etiam in ludis, jocis & conversationibus moderatione utitur. Ultimo loco memoranda venit *Fortitudo*, quæ in animi firmitate consistit, ad ardua strenue suscipienda, & adversa fortiter sustinenda, ita ut nec indigno timore, nec audacia temeraria ab officio virtutis deflectamus, id quod Romani diverbio expresserunt: *Fortia agere & pati.* Hoc ut adsequatur, in subsidium vocat fidentiam & securitatem,

roborando mentem spe, ac excludendo curas inuiles: quodsi de rebus grandibus ac difficultibus superandis agatur, magnanimitatem in sublidium vocat; patientia vero & æquanimitate velut scuto se tueror in malis tolerandis & periculis subeundis: constantia demum superat virtutis impedimenta, & opus semel rite coëptum coronat. Elucet autem fortitudo apud homines Christianos potissimum in ultimo vitæ actu, dum mors, quam Aristoteles *terribilissimum omnium terribilissimorum* adpellat, aut fidei ac religionis, virtutisve amore contemnitur, aut æternæ vitæ consequendæ spe cum magna animi tranquillitate excipitur. Hostes tamen non paucos numerantur, scilicet ignaviam, animi abjectionem, temeritatem, levitatem, ac desperationem, cum quibus perpetuo ipsi pugnandum est, ne succumbat, aut in portu naufragium patiatur.

## XXXVII.

Hæc de virtutibus & vitiis ad mores spectantibus. At inter hæc medium valuti viam, tenent animi affectiones, quas Græci vocant *πάθη*, vulgus *passiones*. Equidem his virum sapientem penitus vacare volentes Stoici conabantur introducere *and-*

*πάθεια* seu mentis tranquillitatem, nullis affectuum motibus obnoxiam; sed severiore imperio, quam lapsa post primam sui originem humana natura patiatur: mitius sensere Platonici ac Peripatetici, cum Christianis afferentes, non posse hominem quantumvis sapientem his affectibus, tanquam communis naufragii reliquiis, omnino carere; circumfert enim secum corrupta natura, quocunque se vertat, peccati somitem. Quare ad vitia revocari possunt *passiones*, si jugum ab illis imponi nobis patiamur: contra ad virtutes, si moderari eas noverimus, & rectae rationi servire cogamus, uti præclare docet Augustinus, dum ait: *Cupiunt, timent, latantur & boni & mali: sed illi bene, isti male; sicut hominibus seu recta seu perversa voluntas est.* Recenset autem undecim ejusmodi affectiones D. Thomas, sex quæ ad Facultatem appetentem seu partem *concupisibilis*, quinque vero, quæ ad iracundiem seu partem *irascibilem* pertinent. prioris generis sunt amor, odium, desiderium, fuga, gaudium & tristitia: posterioris autem spes, desperatio, timor, audacia, ira. Turbam hanc affectuum semper inquietam & intra nos tumultuantem melius sentimus, quam explicamus. De harum domi-

minio illud dicere licet, quod apud Virgilium Neptunus de ventis, & fluctibus maris cecinit:

*Quos ego! sed motos præstant componere fluctus.*

Evellere una cum radice affectiones ad malum inclinantes, tam parum nobis fas est, quam parum naturam exuere:

*Naturam furca expellas, tamen usque redibit.*

Moderari tamen, atque intra honestatis limites eas cohibere possumus, quod Ethica nos docet, non illa quidem Gentilium Philosophorum, sed Christiana, & ad leges Evangelicas composita. Illi enim utut ingenio & prudentia præstantes nihilominus nunquam perfectam virtutem, sed virtutis umbram uti sectabantur, ita sunt adsecuti, evius rei caussa videtur fuisse, quia quoties operam dabant coercendæ alicui perturbationi, non id faciebant solo amore virtutis, aut ut Deo id per lumen naturæ suggestenti obsecundarent, sed amore nimio sui, humanarumque laudum incitati stimulo. Unde quoties se offerebat materia ardua & difficultis, si ex ea sperabant redundare in se magnam apud homines laudem, admiratio-

tionem, opinionem virtutis, strenue se  
in ea etiam cum periculo sanitatis, for-  
tunarum, & aliquando vitæ exercebant:  
si vero nulla spes honoris affulgebat, il-  
lico deserebant tanquam inutilem, quod  
non solum in Diogene Cynico, sed vel in  
Socrate, Platone & Catonibus Laertius,  
Theodoreto, & Lactantius observarunt,  
quorum postremus de his veterum sapi-  
entibus vere pronunciavit: *Fuisse Magi-  
stros virtutum, quibus ipsi carebant* (b);  
exemplisque in medium allatis docet, eos  
fuisse obstinatos, arrogantes, iracundos,  
vindictæ cupidos, & libidini deditos, qui  
sapientiæ externa quadam specie ac pallio  
sua obtexerint flagitia, domique fecerint,  
quod publice in foro & scholis reprehendebant.  
Si vero intueamur prodeentes  
e schola Christi & Evangelii discipulos,  
Apostolos, Martyres, Anachoretas, alios-  
que viros sanctos, quin & fœminas lectissi-  
mas, quis est, qui non fateatur quod  
motus omnes seu corporis seu animi ve-  
lut in potestate habuerint, se suamque  
naturam superarint, & omni virtutum  
genere fuerint exornati?

Recensitis virtutibus, vitiis & affectio-  
nibus, monstrat Ethica primam & proxi-  
mam

(b) Lib. 3. Divin. instit. cap. 15.

mam actionum humanarum regulam. Dicuntur autem actiones humanæ, quæ ex deliberata voluntate procedunt; unde duo in genere morum principia nascuntur: *voluntarium* ut vocant, & *liberum*. Illud est, *cujus principium est*, secundum Aristotelis placitum, *ex agente cum cognitione finis*; atque huic adversatur tum *violentia*, tum *ignorantia*, quæ vinci nequit: duo hæc *voluntarium* omnino perimunt, metus vero minuit, non tollit; *concupiscentia* autem seu cupiditas potius facit & adjuvat. At liberum dicitur id, *quod positis omnibus præquisitis esse potest vel non esse*. Nulla fere sicut ætas, qua non heterodoxi quidam libertatem hominis, præstantissimam illam animæ dotem cœlitus concessam, impugnarunt: at veritas Catholica & fides eo firmius semper stabilivit hoc dogma de libertate, non solum ea, quæ a coactione, sed etiam quæ a necessitate immunis est. Hanc S. Scriptura, hanc Patres, hanc Concilia, hanc ipsa experientia & ratio palam faciunt. Ad quid enim monita, leges, vituperia, præcepta, supplicia, præmia, si impetu quodam ac fatali necessitate agamus? Si non voluntate male facimus, nemo objurgandus omnino, aut monendus: quibus sublati

Chri-

*Christianæ & disciplina omnis religionis auferatur necesse est*, ait S. Augustinus (c). Jam vero actiones humanæ sic, ut dixi, voluntariæ ac liberæ regulam certam exigunt, a qua si recedant, malæ : cui si conformentur, bonæ sunt. Hæc autem prima & suprema est non alia, nisi lex æterna Dei, quam Augustinus vocat *summam rationem, cui obtemperandum est.* Evidem præcipiuntur aliqua, quia honesta : alia prohibentur, quia inhonesta, atque ita naturæ rationali convenient vel non convenient; sed hanc ipsam naturam rationalem necesse est æterna lege moderari ab illo, qui eam condidit primus ac supremus omnium rerum opifex. Proxima vero regula est prescriptum seu *dilectam̄ conscientiæ* ut adpellant, quod intra humanæ mentis sinum latet, dictaque voluntati, quid sit bonum, quidve malum. Quapropter prout voluntas se conformaverit vel non conformaverit huic regulæ ac normæ (si recte constituta sit) monstranti aliquid esse honestum vel dishonestum, actio quoque hominis honestatis vel dishonestatis nota insignietur.

## §. III.

## §. III.

## Oeconomica.

## XXXVIII.

**H**ucusque de Ethica proprie dicta, seu Monastica, quæ mores hominum informat: sequitur Oeconomica, quæ familiæ regendæ modum, mutuaque officia explanat. Est autem familia consociatio quædam ex triplici hominum genere, scilicet conjugum, liberorum (si qui sint) & servorum, ita ut regimen sit penes Patrem & Matrem familias: filii & filiæ sublīnt: his omnibus servi famulēntur. Totius vero regiminis finis est felicitas privata seu domestica, quæ rem familiarem parando, paratam conservando, & conservatam augendo amplificandoque obtinetur. Ethica relictis aliis, quæ ad possessiones, acquisitiones, ædificationem, totiusque contubernii ordinacionem pertinent, potissimum considerat officia mutua, quæ intercedunt inter conjuges, & inter hos ac liberos, & inter utrosque. Basis familiæ est conjugium a Deo ad generis humani propagationem institutum: inde veniunt legitimi liberi, & propter hos maxime famulatus cum reliquo adparatu œconomico. Firmissimum

mum autem conjugii vinculum est mutuus amor & auxilium cum fidelitate ac patientia sociatum : quapropter mariti est sustentare ac protegere uxorem , honorifice de ea sentire ac loqui , verecunde cum illa vivere , reverentiam potius quam metum sui conciliare , vel certe extra orbitam saltantem suaviter coercere . Hinc solicite monet Apostolus (d) : *Viri diligite uxores vestras -- qui suam uxorem dilit , se ipsum dilit.* Itaque non ut ancillam , sed ut sociam habere debet ; quippe e viri latere eductum fuisse mulierem recte observat Doctor Angelicus (e) ad socialis vitae argumentum , ne si educta esset ex capite , viro dominari cuperet ; si ex pedibus , eam vir servilem in modum aut nimis aspere tractaret . Contra vero uxorius est obedire marito : *Mulieres viris suis subditæ sint , sicut Domino , quoniam vir caput est mulieris ,* ait idem Apostolus I. c. custodire domum , castimoniæ studere , labores domesticos dispensare , non alienis negotiis se immiscere , nec imitari hirundines loquacitate Sicut igitur concordia inter utramque partem non violanda ; uxor viro placere studeat , vir imperet , sed non cum despiciencia , neque sit uxorius . Ita fiet , ut licet diversa

(d) *Ad Ephes. 3.* (e) *I. p. 9. 91. 4. 3.*

versa sint utriusque munia, in unum tamen finem nempe in bonum familie conspirent. Ubi vero conjuges incipiunt esse parentes, quod edita in lucem sobole contingit, commune illis officium est, sustentare prolem ac educare; Mater quidem recte faciet, si proprio infantem lacte nutriat, nec alienis admoveat uberibus, ut ille indolem & parentum amorem cum lacte sugat, nec vitiatos nutritis humores, ut saepe fit, imbibat: Pater vero curas suas eo vertat, ut de necessariis ad vitam honeste sustentandam etiam in tempus futurum prospiciat, nec opes suas dilapidet, ut non tam liberos quam mendicabula post se relinquat. Prima tamen omnium solicitude parentum in bonam educationem proles feratur, tanquam optimum patrimonium, quod relinquere possunt: cum Tobia seniore verum Numinis supremi cultum, amorem, timoremque a teneris instillent, retrahant ab otio, lusu, protervia, petulantia, mendacio, aliisque vitiis huic ætati familiaribus; præsertim curent, quod Satyricus monet:

*Nil diu fædum, visuque hæc limine tangat,  
Intra quæ puer est.*

Contra verbo & exemplo virtutes doceant Christianas, & a teneris pietati, reverentia, sacrisque religionis nostræ mysteriis assuefiant, in disciplinis indoli ac ætati convenientibus instituant aut institui curent, atque in morum civilitate sedulo informent. Sit mater blanda, pater severus, ut ætas hæc in omnem partem flexilis media inter limites istos consistat, & recto velut vertice crescat in spem patriæ ac parentum solatium. Non minora sunt, quæ liberi genitoribus debent, quibus vitæ suæ post Deum authoribus ad nutum obsequantur, reverentiam exhibeant, amore illos genuino prosequantur, omneque genus officii, opis & auxiliis præcipue senibus, aut cum morbo vel pauperie luctantibus præstent cum Tobia juniore. Familia per sobolem aucta vel etiam immunita opus est pro domesticis sevitiis conducti famulos, & famulas, quum multa sint officia, quæ parentibus aut liberis non convenient. Circumscribitur autem hæc societas tum imperio Heri, tum Servi obsequio. Hujus effigiem optimam vivis coloribus exprimit Apostolus (f) dum ait: *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate*

(f) *Ad Ephes. 6.*

tate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino. Caveant igitur servi, ne sint harpaces, nungivendi, bibosi, rixosi; secus erunt, ut cum Plauto loquar, mastigiae, verberones, flagriones, plagipatidæ, quos scilicet jure Heri verberibus, flagris, & plagiis excipient: sint potius boni & frugi, damnum familiæ avertant & bonum procurent, sint celeres in obsequiis cum dexteritate, obedientes cum reverentia, nec palam faciant, quæ intra domesticos parietes contineri oportet. Non minus Heri officium, quod servo debet, paucis explicat idem Apostolus (g): *Domini quod justum est & æquum, servis præstate.* Æquitas autem postulat, ut virtus congruus præbeat, reddaturque suo tempore paratum salaryum, ut servitium exigant non severe nimis, & cum grandi supercilie, ut non canum loco habeant verbis & verberibus, nec contumeliarum tempestatem in eos effundant ad iram præcipites, ita ut Dominum suum colant potius famuli, quam metuant: denique ipsorum etiam moribus & saluti invigilent,

(g) *Ad Coloss. 4.*

Ient, uti monet memoratus Apostolus (h):  
Siquis autem suorum & maxime domestico-  
rum curam non habet, fidem negavit,  
& est infideli deterior.

§. IV.  
*Politica.*

XXXIX.

**O**economica sic rite constituta progredia-  
mur ad Politicam seu civilem, quæ  
republicam optime instituit, ejusque  
gubernandæ rationem docet. Regimen  
politicum e geminis fontibus ortum  
est. Primum quidem, quum homo na-  
tura sua sit animal sociale, expetit vitam  
vivere non in solitudine, ac feratur in  
star circumvagari, sed in communitate,  
ubi aliorum hominum societate adjuvetur  
in iis, quæ ad vitam humanam pertinent  
pluribus indigentem, quibus comparandis  
unus atque solus sibi non sufficit. Deinde  
quia communitas hominum diu nequit  
subsistere se sola, opus est potestate, quæ  
gubernet communitatem. Sunt enim in  
hac duo bona probe consideranda: unum  
quidem singulare & privatum, de quo  
singu-

(h) *Ad Timot.* 5.

singuli providere sibi possunt mutuo societatis vinculo colligati; alterum commune ac publicum, in quod omnes conspirare debent, quod absque facultate aliqua gubernante, quæ curam totius communitatis ac boni huic adhærentis gerat, fieri sane non potest. Unde Sapiens ait (i) : *Ubi non est gubernator, populus corruet.* Inde nascitur Respublica, quæ aliud non est, quam consociatio multarum familiarum sub unum regimen, eo triplici consilio, ut primo omnes vitam degere possint tranquillam, quivis agat sua secura ac ordinatim, nec imbecillior opprimatur a potentiore: secundo, ut diversi sint ordines inter membra reipublicæ, alii præsint cum potestate ac jurisdictione, subsint alii cum subjectione & obsequio: tertio demum, ut certis legibus & institutis omnes & singuli in unum corpus colligantur. Atque ut ab ultimo seu legibus initium ducam, sine quibus gubernandi potestas inanis atque inermis foret, humana lex non minus quam naturalis & divina, postquam rite lata ac promulgata est, atque ad subditorum notitiam pervenit, eos obligat in foro, ut ajunt, tum externo, tum interno (nisi mere pœnam intentet) dummodo justa sit, ad quod quatuor sunt,

(i) *Proverb. ix.*

quæ requiruntur, scilicet ut rationi sit  
consentanea, ut religioni conveniat, ut  
sit utilis, ut saluti prospiciat. *Omnis ani-  
ma,* inquit *Apostolus* (k), *potestatibus sub-  
limioribus subditâ sit.* non enim est potes-  
tas nisi a Deo: quæ autem sunt a Deo,  
ordinata sunt; itaque qui resistit potesta-  
ti, *Dei ordinationi resistit:* qui autem  
resistunt, *ipsi sibi damnationem acquirunt.*  
Quamvis autem omnis potestas a Deo sit,  
hoc tamen non prohibet, quin facultas  
condendi leges humanas penes homines  
quosdam resideat. Ita Caput totius Ec-  
clesiæ summus Pontifex, cui suas in ter-  
ris vices demandavit Christus, facultatem  
habet amplissimam condendi leges quas  
vocant Ecclesiasticas, quibus patere tene-  
tur tota Ecclesia: Civilium vero legum  
ferendarum potestas illi competit, qui  
supremum habet in communitate perfe-  
cta, qualis est civitas, regnum &c. juris-  
dictionem tum dirigentem tum cogentem:  
Hæc autem iurisdictio suprema in nullo  
homine singulari reperitur, quum quivis,  
si naturam spectes, nascatur liber, sed in  
ipso hominum communitatem perfectam  
constituentium cœtu: est enim corpus  
quoddam politicum, quod ubi coalescit,  
quamprimum quoque in eo potestas seip-  
sum


sum regendi exsurgit. Quodsi ejusmodi communitas certam regiminis formam arbitrio suo semel eligat, ac Principem Supremum vel Regem &c. constituat, jam in eum dominationem ac regiminis jura transfert, seque illi subjicit, & libertate pristina exuit.

Quoniam autem (quod alterum caput erat) quidam in republica subsunt, praesunt alii, triplex forma regiminis prodit: harum infima est *Democratia*, quando scilicet plebs ipsa permutat inter se officia per vices, & in conventu quodam quilibet e populo jus habet suffragii, quale imperium multitudinis olim fuit in exordio Romanæ Republicæ. Proxima forma regiminis dicitur *Aristocracia*, ubi Optimates seu viri virtute ac dignitate cæteris praestantes dominantur, & ad reipublicæ clavum sedent. Suprema vero est *Monarchia*, nempe si rerum potitur unus & solus, communemque utilitatem curæ suæ concreditam habet; - secus si privatum commodium publico præhabeat, in Tyrannicum imperium degenerat. Quænam vero ex his tribus formis gubernandi præstantior sit, adhuc sub judice lis est: regimen Monarchicum, si ejus indoles spectetur, cæteris anteferendum esse creditur, utpote quod in Ecclesia sua re-

genda ipse Christus adhibuit, supremam potestatem conferens Capiti in omnia reliqua Ecclesiæ membra. Quoniam autem in Civili conditione difficile admodum est, tot ac tales invenire dotes, quales in Monarcha requiruntur, non defunt, qui autumant regimen ex Monarchico, Aristocratico & Democratico mixtum, seu Monarchiam reliquis duobus temperatam antecellere. Jam ut ad primam ordine inverso dotem reipublicæ progressiamur, ea est, ut omnes vitam degant tranquille, secure, ac ordinatim. Tranquillitas obtinetur per mutua civium inter se officia, præsertim amicitiae cum æqualibus, cultus honoratioribus exhibiti, pietatis ac liberalitatis erga miseros & indigentes: Securitas per legum & justitiae custodiam, fugam litium & seditionum, ac Magistratum vigilantiam: Ordo autem præcipuum reipublicæ ornamentum simul ac fulcrum est. exigit hic, ut alii civium sint Patritii, oriundi claris prosapiis, alii Ephori seu Optimates cooptati in magistratum seu suffragiis seu subsortitione, alii plebeii, qui privata carent. Porro Magistratus conflatur ex Senatoribus publicæ saluti invigilantibus, Prætoribus, qui litigiis componendis sunt intenti, Ædilibus publicarum ædium cu-

ram gerentibus, & Tribunis plebis, quorum est populum in officio intra limites statutorum continere. Horum autem munus est multiplex: in primis ut videant, ne republica capiat quid detrimenti, quod fieret, si permitterent cives otio ener vari, luxu aut vestitu supra conditionem pretioso prodigere patrimonium, quaestum exercere malis artibus, commessationibus, & ganeis, aliisve in honestamentis operam dare, aut si Magistratus ipse in distribuendis publicis functionibus & officiis non tam meritis, quam privatis favoribus & commodis operam daret. Præterea incumbit illis, severam legum rationem habere, ut ab omnibus sancte observentur, nec impune violentur a quoquam: justitiam administrare cleleriter ac sapienter, & sine partium studio, maxime pupillis, viduis ac miseris: providere communitati de administrandis necessariis, de commeatu aliquis utensilibus per mercatores, proletarios, & omnis generis opifices. Denique quod inter primas curas esse debet, quam optima juventutis educatio constituenda est, ut per magistros, doctores, atque artifices, quantum fieri potest, selectissimos, in bonis artibus, literis & moribus ac religiosis veræ dogmatibus solertissime erudiantur,

tur, e qua re salus vel interitus reipublicæ potissimum pendet. Atque hæc sunt, quæ *Philosophia Moralis*, scientia sane pulcherrima utilissimaque, in triplici Ethica, scilicet proprie tali, *Oeconomica* & *Politica* ampliore stylo ac sermone ingenuis cultoribus suis consideranda proponit, & latissime explicat.



## CAPUT VIII. CRITICE PHILOSOPHICA.

### §. I.

#### *Temperies Philosophica.*

### XL.

**L**ustrata satis longo itinere universæ *Philosophiæ Oeconomia*, qua Logicam, Physicam, Metaphysicam atque Ethicam complectitur, operæ pretium esse videtur, ut in tanta, quæ modo ubique terrarum grassatur, opinandi ac philosophandi libertate, dicam an libidine, pauca quædam, quæ majoris momenti sunt, ad sanæ Critics trutinam expendamus, certamque temperiem Phi-

Iosophicam constituamus. Atque in primis vela facienti per mare Philosophicum tam vastum, quam periculis plenum, geminos evitari debere scopulos contendō. Sunt nostris etiam temporibus, qui nīmum tribuunt autoritati Veterum; sunt alii, qui nihil, vel certe parum. Primi Julianum Apostatam imitari videntur, qui Christi doctrinam tunc satis adhuc novam resp̄pere non dubitavit, ne dimittere eām, quæ Phythagoræ ac Socratis olim erat, cogere tur, de quo Ammianus Marcellinus vere pronunciavit: *Loquax Talpa, purpurata simia, literio Græcus, homo brevis, Iodilianus.* Si quid in medium proferatur, quod Peripatūm non sapiat, quodque placitis Aristotelicis, quibus a teneris imbuti sunt, adversari ipsi quidem autumant continuo insurgunt caperata fronte ac clamitant, non secus ac si Hannibal ante portas: totam susdeque verti Philosophiam, periclitari Theologiam, & ipsius veræ fidei dogmata labefactari. Sed ut cætera taceam, quis eorum vadēm se nobis præbet, veram Aristotelis doctrinam atque sensum doctrinæ Aristotelicæ (idem esto judicium de reliquis antiquis Philosophis) penes se velut custodes sacrarii Philosophici esse? Multa certe Aristoteles scri-

scripsit obscure admodum, non pauca, quæ diversis in libris inter se pugnare videntur, plura interpretes latini vel corruerunt, vel privatis suis opinionibus, prout primus quisque occupabat, servire coegerunt, maxime in rebus physicis. Quod autem omnium in Aristotelis seu intelligentia seu interpretatione difficillimum est, quis dictatoria potestate ausit pronunciare de plurimis, quæ idem incredibili labore ac studio indagat, atque explanat, num de his in sensu metaphyco vel potius physico locutus fuerit? profecto si hoc ultimum dicas, mundi latissime patens universitas innumeris reculis, modulis, accidentibus & qualitatibus *realiter* ut ajunt Philosophi a *substantia* distinctis, nunc recens natis, nunc brevissimo tempore rursus interituris, referta erit, quæ alii non nisi corporum affectiones & modos esse volunt *formaliter* solum, & per intellectum distinctos a substantia. Exemplum habes in *duritate* & *mollitie corporis*, in *humiditate*, *siccitate*, in *magnitudine*, *superficie*, *mole* ac *figura*, fortassis etiam in *frigore* atque *calore* &c. Ausim dicere, *substantiva*, ut adpellant Grammatici, multos veterum Philosophorum, qui Aristotelis vestigia nimis presso pede sequebantur, vehementer de-

cepisse, credentes omnia hæc, quæ ille doctrinæ ac explicationis gratia non nisi cogitatione sua, sed admirabili quodam ordine divisit & discriminavit, re ipsa ab *adjectivis* esse distincta, nec tam affectiones rerum, quam reculas esse intime illis insitas, & ab iis omni loco omni tempore & sine fine progenitas. Illud dolendum, quod res hæc nulla satis ingenii acu tangenda tot retro seculis clamores inconditos, & lites nunquam finiendas in scholas nobilissimas invexerit, ac si non essent alia plurima gravioraque naturæ arcana, juvenum virorumque ingenii, studio, & honestissimis exercitatiōnibus digna, quæ utilitatem simul adferant, ingenium acuant, & disputationibus cruditis, quæ nunquam abesse debent, copiosam materiam præbeant. Mali autem hujus origo profluxit a nimium servili obsequio uni alterive Authori jurato. Ita Peripatus Aristotelem, Gassendus & Cartesius Democritum & Epicurum, alii ipsum Gassendum, Cartesium, Wolfium velut super aram statuentes, ingenti sectatorum turba stipati rempublicam philosophicam magnis motibus concusserunt. Accedit & aliud malum, scilicet quod Præceptores unius vel alterius authoritati mordicus inhærentes ean-

eandem ingenii pertinaciam discipulorum animis velut cum lacte instillent; unde nascuntur præjudicatae opiniones, longissima serie integras scholas late inficienes, & ex his continua bella & lites, nemine etiam post graves allucinationes ejusmodi Authorum probe detrectas cedere, quovis alteri resistere semper parato; quod jam pridem animadvertisit Cicero (1) dum ait, *obest plerumque iis, qui discere volunt, auctoritas eorum, qui docent.* Parum dico, qui hac zelotypia laborant, plerumque seu fastidiunt, seu dedignantur adversariorum doctrinam & causæ momenta intimius & seposito partium studio expendere, sed ante tabulas rite inspectas jam ferunt sententiam, damnantque quod non intelligunt: blasphemant, quod ignorant.

Alia ex parte, ut dixi, sunt, qui parum vel nihil tribuunt authoritati, nec limites aut fines ingenio suo ac opinioribus singularibus poni patientur. Imperium Monarchicum in Philosophia non ferunt, sed Democraticum amplexantur, ubi quivis prout lubet, sentire ac dominari potest. Evidenter lues hæc primis jam Philosophiae nascentis temporibus graffari cœpit. Plato, Pythagoras, Ocellus,

(1) *De nat. Deor.*

lus, Timæus, Leucippus, Parmenides, Hippocrates, Melissus, Democritus, Empedocles, Anaxagoras &c. quivis opiniones suas quasi merces venum exposuit, & famam simul ac clientelam aucupatus est: postea vero Philosophiæ solium ac sceptrum fere solus Aristoteles occupavit, nec sine quodam merito suo. Nam uti Josephus Scaliger, magni nominis Criticus, acute observat, plurimi Philosophorum levibus ducti rationibus dicunt ea, quæ ipsis placent: solus Aristoteles materiam, quam tractandam proposuit sibi, exhausit: hanc enim præparavit destruendo id, quod alii perperam docuerunt: hinc Physicam suam aggressus est velut historica quadam narratione, recensendo omnia veterum & præcedentium Philosophorum sensa, quæ probe ponderata deinceps acriter refellit. Verum ultimis hisce seculis plerique Novatores junctis quasi signis in ipsum Aristotelem insurrexerunt, & omni propemodum autoritate in scholis exuere tentarunt: sua vero seu commenta, seu placita miris modis ac mutuis obsequiis extulerunt plaudentes sibi solis, alios omnes grandi supercilie despicientes. Si rem ut est fateri velimus, constantia, firmitas animi ac ingenii, atque studiorum per-

pertinacia nos ævo nostro destituit, quibus tædium laboris, nausea veteris doctrinæ, cupiditas multa & nova sciendi sine delectu, sine solida methodo, sine longiori meditatione ac ruminacione successerunt: nimirum cibos amamus non nisi palato sapidos, eosque tanto numero ingerimus, ut iis concoquendis stomachus par non sit; delectationem quærentes, de justo nutrimento parum solliciti. Hinc volumina veterum Authorum aversamur, in quibus latens veritas per ambages & prolixum studium quærenda est: contra Recentiorum libros & scholia fugacibus oculis volvimus atque revolvimus, veluti prædæ inhiantes singulari cuidam ac novæ opinioni, aut systemati, quod multis fucatum ratiunculis dum speciem veritatis præbet, ab ea longissime recedit. Inde fit, ut graviores severioresque disciplinæ, quæ post Philosophiam sunt exantlandæ, puta Jus utrumque, aut Medicina vel Theologia, bono publico ac religioni adeo necessariæ, eadem qua Philosophia levitate percurrentur, cum insigni tribunalium, caffarum forensium, humanæ vitæ, sanitatis, & morum ac fidei doctrinæ dispendio. Nam ejusmodi quos dixi homines, qui Philosophicum Nilum duntaxat lambebant, non assueti rerum

rerum momentis rite ponderandis aut  
discernendis, obvia quavis seu ratione  
seu conjectura, etiam leviuscula, etiam  
sophistica in transversum acti caussas ma-  
le dijudicabunt, morbis quorum fontes  
iphorant, non tam medebuntur, quam  
suppetias ferent, & authoritate contem-  
pta sibi praeſidentes commissas curæ suæ  
animas in gravissimos errores præcipita-  
bunt. Quod autem maximè dolendum  
est, experimut hiſ temporibus quotidie;  
eiusmodi male tinctos, quos ſciolos ad-  
pellant, ſi oris volubilitas, sermonis ad-  
fectata mollities & audax crisis accedat;  
aliis vere doctis, in præſtantium autho-  
rum monumentis probe versatis, & om-  
ni ſcientiarum gehere imbutis non ſolum  
ab eiusdem furfuris hominibus non poſt-  
haberi, ſed etiam præferri. Ita decipi  
ac deciperē gaudemus. Certe antiqua  
Philosophia profunda fuit in ſuis cogita-  
tis, indefeffa in veritatis indagine, fir-  
maque in ratiocinationibus & placitis  
ſuis: nova vero in ſola naturæ curiosa  
consideratione occupatur, nec ultra ſuper-  
ficiem progreditur: ubique festinat, nec  
aetas nec tempus idoneum indulgetur:  
exulat paſſim invicta methodus ſchola-  
ftica, tantaque rerum addiſcendarum far-  
rago objicitur, ut memoria potius quam  
in a

intellectus excolatur, & doctissimus ille fit, non qui plura scit, sed qui plura narrare novit. Antiqua Philosophia reipublicæ tum sacrae tum profanæ omni tempore suppeditavit Legislatores, Consiliarios, Jurisconsultos, Theologos, quorum libri scientia, eruditione, doctrina pleni sunt, & quorum oracula etiamnum a sapientibus adorantur: contra nova litterarium ac politicum regnum levidensibus, vagis, male criticis, & plusquam oportet sapientibus ingeniis ut plurimum implet, qui contempta Majorum disciplina bonum publicum turbant magis quam curant. Quare nostris etiam temporibus nonnemo rerum peritissimus pronunciarere non dubitavit: *bonum judicium primorum Philosophorum toti arti & toti cinnitati Novorum esse præferendum*; nisi forte malumus, antiquam nova sobrie ac prudenter temperatam amplecti, conando detegere novas veritates absque neglegitu veterum, nec destruendo res exploratas ad stabilienda minus certa, tuendoque libertatem, sed rationis usum non perdendo: verbo, merita seu Veterum seu Novorum probe ponderando. Et ne quis istud temere a me dictum existimet, novas opiniones atque sententias non esse passim contemnendas satis  
do-

docent omnes bonarum artium cultores,  
 qui antiquitati bellum indixerunt, & in-  
 ventis suis de literaria republica immor-  
 taliter meriti sunt. Certe in palestra  
 Eloquentiae Tullius veterum Oratorum  
 vitia palam fecit: in re poetica Mantua-  
 nus ab antiquorum vatum moribus &  
 carmine procul recessit: in arte Medica  
 rejectis antecedentium Medicorum apho-  
 rismis Hippocrates & Galenus novos fa-  
 nioresque induxerunt: in Mathesi Pto-  
 lemæus & Alphonsus Rex plures Astro-  
 logorum quam astrorum errores detexe-  
 runt: in Ethicis aliam omnino a majori-  
 bus doctrinæ viam init Plato: in Physi-  
 cis Aristoteles fere omnium priorum Phi-  
 losophorum opiniones ac methodum eli-  
 minavit: in Theologia Magister senten-  
 tiarum ac D. Thomas innumeratas inanum  
 & falsorum dogmatum tenebras nova luce  
 veritatis dispulerunt. Modus igitur tenen-  
 dus est, & grata temperies, nec sine dele-  
 tu ac prudenti consilio quidquam novan-  
 dum, præsertim a junioribus, quibus ple-  
 rumque ad nova pruniunt aures & dentes:

*Pluraque canities novit, quam læta ju-  
 ventus (m).*

Censoria opus est virgula, optandum  
 que, ut Sinarum mos in regnum quo-  
 que

(m) Nazianz, in carmin. Nicobuli;

que literarium introducatur. Gens hæc Monarchico assueta imperio, & si quæ alia politicis artibus adprime dedita, quavis in urbe *Præfectorum Novitatum*, ut vocant, habet, quorum munus est, quidquid novi contingit in regno, ad Regis tribunal & arbitrium deferre, etiam exigui & pene nullius momenti, quale illud fuit, quo Principem accusarunt, quod contra morem gentis comam raderet: neque delictum hoc impune abiit. Quapropter ut vera Philosophia sarta tectaque servetur, ipsi Philosophantes in officio iao sunt continendi. Est enim reperire quosdam, qui in eas tantummodo res ingenii aciem intendunt, quæ manibus palpari, tractarique possunt, & quidquid sub sensum oculorum cadit, ac vulgi adprobationem conciliat, ambabus manibus arripiunt, parum solicii, ut ipsa rerum principia intelligent, per quæ ad veritatem velut manuducantur. *Horum ratio & disciplina*, inquit eruditissimus Possevinus (n) tantam adfert rebus cladem ac ruinam, ut nulla unquam pestis major hominum vitam invaserit. Nam lectors suos & discipulos per tot ambages

(n) *Tract. 2. de Platon. Philosophia cap. 3.*

ges & anfractus inutilium quæstionum ac ratiocinationum circumducunt, ut nul- libi firmum pedem figere ipsis liceat, nec ad illorem, quæ proponunt, veram in- telligentiam pervenire. Longe melius sapiunt illi Philosophi, qui quæ oculis perspexere, ac curiosius contemplati sunt, ad interius conclave mentis secum ab- ducent, nec *ad parvulam sensuum cyno- furam* dirigunt cogitata sua, sed ad cla- rissimos rationis septentriones convertunt, & caussam ex causa repetentes, necten- tesque non prius quiescunt, quam ad ex- tremam rerum caussam, ex qua omnia profluunt, solidis nixi principiis per oc- cultas licet & obscuras vias pertingant. Atque ab his quidem Philosophis, ait memoratus Possevinus, magnas & im- mensas adipiscimus in vita utilitates.

## §. II.

*Ratio disceptandi, & norma tradendi  
hanc disciplinam.*

## XLI.

**T**emperie Philosophica sic constituta, ad crisin revocanda venit tum ratio di- sceptandi, tum norma tradendi hanc di- scriplinam. Effatum est sapientissimi ac in-

in scientiis versatissimi Viri, sacra pur-pura insignis, Cajetani, quo de se ipso pronunciare non dubitavit: *Circulus & calamus me doctum fecerunt.* Nempe cir-culus, ut vocant Philosophi, quando ve-lut in orbem consistentes discipuli nunc opponendo nunc respondendo exerceri solent: & calamus, quo Magistri vel Do-ctoris scripta & explicata excipiunt. Ad primum quod adinet, *crebra disputatio* de rebus vel in utramque partem du-biis, vel nequid sat cognitis tam nece-saria est Philosopho, quam militi armo-rum exercitatio & velitatio. Cujus rei duplex caussa est; primum quidem hu-manæ mentis caligo, quæ facit, ut ve-ritatem non uti aquilæ solem intueri va-leamus: neque ista plerumque explicatam nobis frontem indulget, sed ultro citro-que longiore disputationis serie primum se se evolvit. Quot & quanta non sunt, quæ aut primo obtutu aut solitaria etiam ac diuturniore meditatione certa vel vero-simillima pronunciamus; quodsi vero se-riæ disputationi subjiciuntur, dubia vel omnino falsa esse deprehendimus? Si pri-ma fronte exercitum bene pastum, & vestibus armisque ad omnem elegantiam instructum videoas, invictum esse credes; at ubi ex adversa parte pe spedi, & vir-

viro committitur, ubi æquo marte aliquamdiu certatum fuerit, victum sape dices, quem victorem credidisti. Si omne aliud hoc in negotio abesset, illud sufficeret, quod disputando non solum doctiores, verum etiam cautiores in proferendis opinionibus & placitis nostris efficiamur. Altera caussa est, quod ad veritatis arcem nonnisi per ambages & mæandros satis multos aditus pateat. Statuitur thesis: propugnantur a Petro: sed Paulus negat: producit ille argumenta sua, sed hic distinguit, vel omnino inficiatur: instat ille rurius, urget: refellit alter, vel propria in adversarium arma retorquet: tandem post varios assultus arx expugnatur, & in victoriæ præmium cedit veritas tantis quæsita studiis. Quod si dubia, ut non raro contingit, palma sit, illud saltem emolumenti percipimus, ut discamus docte dubitare. Præterea expediti promptique sumus disputando ad firmandas sententias nostras, vel alienas opiniones refutandas. Hac dos si absit, quis est, qui non videat omnem jacere Philosophiam, immo scientiam omnem? Quis enim vel afferat aliquid, vel neget prudenter, si rationem asserti sui afferre non possit, aut si nequeat reddere cauillam, cur neget? su-

pre-

premorum Principum est, non Philosopherum, dicere:

*Sic volo, sic jubeo: stat pro ratione  
voluntas.*

Veritas quantumvis nuda sit & aperta; fere nunquam sine comitatu disceptationis & ratiocinationis in publicum prodit. Dicat unus, solem circa terram moveri, alter terram circumire solem; si neuter habeat, quod opponat alteri, neuter quo effatum suum stabiliat, haerebunt ambo, nec quid sentiant, quid credant, habebunt. Quis suadere poterit, ne dicam, persuadere, quis decidere caussas, quis convincere partem adversam, si non calleat artem disputandi, seu argumentis probandi firmandique asserta sua, aliena vero dissolvendi ac enervandi? Sola fides est, quæ cæcum poscit adsentiendi obsequium: nulla scientia sine dissensu. Demum disputatio est eos ille humani ingenii, quo excitatur vehementer, & acuitur, ipse fervor disputandi multa non raro suggerit seu ad veritatem propugnandam, seu ad falsitatem demonstrandam, quæ languida meditatio nunquam subministrasset; quæque alias in mentem nunquam venissent: dum cedere statim nolumus adversario, nec arena excedere,

intendimus vires omnes, omnemque tentamus vincendi aut certe non succumbendi aleam, & quod de furore dicitur:

*Furor arma ministrat.*

Quis non jam indignetur vehementer illi sophorum plebi, quæ hisce temporibus contra veterum morem & institutum prudentissimum fere omne disputationis genus e scholis & cathedris eliminare contendunt? Sunt, qui enthymemata, syllogismos tanquam pueriles nannias rident, & indignas, ut in virorum doctorum confessu preferantur, quum tamen omni ævo, in omnibus Academiis & exedris, in ipsis, qui de rebus ad scholam pertinentibus agunt, voluminibus eruditissimorum hominum tanquam invicta ad disputandum, convincendum, & veritatem eruendam instrumenta fuerint semper habita & in usum deducta. Heterodoxorum futilis & toties profligata hæc querela nunquam non fuit, probe cognoscendum, quanta falsis dogmatibus suis strategies hac disputandi methodo inferatur: nunc etiam, quod dolendum, ad maleficiatos Orthodoxos transiit, vel perverso quodam literarum sublimiorum gustu, vel imperitia tractandi ejusmodi armorum genus, vel mera novandi libidine laboran-

rantes. Alia sane mens fuit Sapientissimorum Principum, tum Catholicorum tum Acatholicorum, qui anno Christi 1601. colloquio Ratisbonæ celebrato præsidebant. In hoc Conlocutoribus (ut vocabant) lata lex fuit, *argumenta syllogismo, vel alia in Logicis probata argumentandi forma includere.* Acatholicis vero Theologis omnem scholasticorum formam procul ablegantibus, lex eadem renovata fuit in hæc verba: *singula argumenta in forma dialectica singulatim & seorsim discutiantur, & uno discussu ad alterum modo jam prædicto procedatur.* Sunt etiam, qui in publicis concertationibus post duos tresve syllogismos velut levi brachio excusso ad longas ultro citroque dissertationes seu narrationes historicas etiam voce patria, Italica, Gallica, dilabuntur, qua re quidem memoriae vim & sermonis elegantiam palam faciunt, vix ullum tamen solidæ doctrinæ specimen præbent, non sine neglectu finis, quem disputationibus suis Majores nostri præfixerunt: qui plus garrivit, plus laudis obtinet, ac denique totus Actus adplausu finitur. Nolim autem heic vitia dissimulare, quibus non pauci nobilissimum disputandi opus deturpant & exosum reddunt. Aliqui de rebus sæ-

pe frivilis & inutilibus, quas quæstiones de nomine vocamus, quasi pro aris & focis certant: alii mirabilibus terminis, phrasibus, ac *distinctionibus* utuntur, quas nec ipsi intelligunt, & quibus quæ satis jam obscura sunt, adhuc reddunt obscuriora. Quidam ad ravim usque clamitant, & velut cestro perciti nullum altercandi finem faciunt: modo qui præsider, modo qui defendit, modo qui argumentatur, modo omnes simul clamoribus autam infestant, & velut campanarum in turri una pulsarum strepitu aures fatigant: non nulli ipsas urbanitatis leges disceptandi rusticitate egrediuntur, eorumque argumenta & responsa non raro in convicia desinunt, eo turpiora, quo minus inter homines doctos & bene moratos ejusmodi charites locum habere oporteret. Ajebat Joannes Picus Mirandulanus, homo ad miraculum doctus (o), eas disputationes prodesse, quæ placido animo ad vestigandam perquirendamque veritatem privatis in locis exercebantur; & illas obesse plurimum, quæ in propatulo siebant ad captandam vulgi auram, atque imperitorum ad plansum, vixque fieri posse omnino censebat, ut honoris cupiditate, qua frontivagi illi disputatores exagitantur, inseparabili vinculo

(o) *In vita,*

cylō annexum non sit illius, cum quo di-  
sputatur, desiderium infamiae confusio-  
nisque, lethale vulnus animæ, venenum-  
que charitatis mortiferum. Hæc utique  
abesse debent longissime a tam gravi ne-  
gotio: rationibus agendum, quæ fortiter  
simul & clare proponantur, eademque elat-  
ritate ac energia refellantur: relinquatur  
utrique parti spatiū loquendi, explican-  
dique tum argumenta tum responsa; me-  
minerit Præses se Doctorem esse: defen-  
dens discipulum: & opponens veritatis  
in lucem protrahendæ potius, quam vi-  
ctoriæ obtainendæ cupidum se common-  
stret. Ubi satis in hanc & illam partem  
controversa quæstio ventilata fuerit, facto  
silentio, qui præsidet mentem suam atque  
sententiam brevi ac nitida anacephalæosi  
aperiat, qua percepta Auditores judicare  
possint, quid sibi sentiendum sit, quam-  
que opinionem amplecti malint. Ista si  
fiant, innocentissima, utilissima & decen-  
tissima res erit etiam palam disputare, præ-  
sertim si honoratores adsint Hospites, qui  
nunquam abesse deberent, tum ut honestis-  
simam e rebus, quas & ipsi quondam tra-  
ctabant, voluptatem capiant, tum ut præ-  
sentia sua Literatorum confessum cohone-  
tent, ac eruditas hujuscemodi concerta-  
tiones toti reipublicæ ac patriæ in pretio

esse demonstrent. Hæc de Cajetani círculo quem dixi :

## XLII.

Jam ad calamum, nempe alterum instrumentum, quo se doctum evasisse professus est magnus ille Cajetanus. Quæstio heic occurrit multis studiis jam olim agitata: scilicet an præstet in Philosophica republica viva voce, an scripto excollere ingenia adolescentum. Juvat in utramque partem audire Duumviros omni scientiarum genere instructos, & libris editis celeberrimos, Antonium Possevinum, Mantuanum, & Sfortiam Pallavicinum postea S. R. E. Cardinalem, utrumque e Societate Jesu. Prior (p) vivæ vocis usum præfert, & ejusdem patrocinium suscipit: dictandis prælectionibus, ait, adolescentum ingenia premi potius, quam per veterum semitam deduci, dum viva vox latente quadam energia melius in discipulorum animos influit; in scriptis vero non raro aliena & mortua tanquam propria traduntur, aut certe sine delectu commiscentur: dein vanam quandam in ejusmodi scriptis fiduciam ponit a juvenibus, non tam solicitis, ut res animo comprehendant, quam ut memoriae, quæ dictata

ctata sunt, imprimant: præterea scribendi celeritate characteres rite formandi vi-  
tium contrahi, ac sœpe brevitatis studio  
elegantι veterum dictioni barbaras voces  
substitui: ipsis qui prælegunt, occasionem  
demi, qua serio materias excutiant, con-  
tentis ea mandasse chartæ, quæ prope-  
rantibus occurrunt: demum temporis  
non modicum fieri dispendium, dum quæ  
in libris longe perfectioribus pridem edita  
fuerunt, novo & minus utili labore de-  
scribenda veniunt. Quare jam olim an-  
no 1355. in Academia Parisiensi lege cau-  
tum erat, ne Doctores, quos vocabant  
*Nominatores ad pennam*, auditorum ma-  
num potius exercerent, quam continentι  
explicatione mentem erudirent: idem a  
nostris factum Patribus in Lusitanie Aca-  
demii, ubi Philosophiæ naturalis partes  
e prelis emisere, tum ut subtraheretur  
scriptio, tum ut relinqueretur occasio  
prolixiori & accuratori explanationi di-  
sputationique. In hanc fere sententiam  
de re præsenti scribit Possevinus. Contra  
Pallavicinus ætate posterior, acerrimi vir-  
judicii mentem suam sequentibus decla-  
rat (q): Experientia docemur, inquit,  
hoc est probatione omnium, si non po-  
tissima, certe clarissima, dictandi usum  
ad

ad Philosophiæ traditionem necessarium esse. Nam Magistrorum commentationes si auribus, non calamis committantur, velut crustularia in conviviis simulacra non tam ad alimoniam sunt quam ad pom-  
pam. Nihil hebes est sensus & obli-  
viosus aurium, per quas solas admissa do-  
ctrina brevi dissipatur & evanescit, prius  
quam ad mentem perveniat, & in ea ra-  
dices figat. Adducit postea exemplum re-  
liquarum Religiosarum Familiarum, immo  
& Jurisprudentiarum Doctorum, de quibus,  
inquit suo utique seculo, non tam facile  
videris, qui si minus publica, certe privata  
dictatione discipulos non erudiant, quum  
tamen huic arti, quæ vel maxime nititur  
authoritate, promptissimum foret aliena-  
tantum prælegere atque exponere. Por-  
ro expedit, ut præter paucas quasdam  
opiniones & doctrinas ex veteribus quasi  
jure hæreditario acceptas quilibet Magi-  
strorum habeat plures privatas ac pro-  
prias, suo ingenio excolendas, quum ea-  
dem semper dapes in mensa, eadem mer-  
ces in taberna, eadem vestes in corpore  
denique nauseam creent, & vilescant. Has  
vero opiniones nisi scripto tradat, nun-  
quam satis assequentur discipuli mentem  
& sententiam Magistri. Evidem fateri  
oportet, & Veterum & Recentium quo-  
rum-

rumdam Philosophorum libros multis parafangis esse meliores scriptionibus Præceptorum; sed an ideo hæ contemnendæ vel abjiciendæ? neutiquam. Illorum libri validiora quidem sunt arma, sed discipulorum manibus & humeris non ferenda: plus interdum habent succi, succum tamen illum infantia condiscendentium ingenia pati & concoquere non possunt. Multum interest, an convivium instruas Optimatibus, an vero lac pueris edentulis propinnes. Denique Philosophia sicut imber est, qui si largus sit ac præceps, diluit non imbuit: guttatum assiduus cadat necesse est, ut in solum penetrat, illudque aridum emolliat. Non minus commode irrigantur ingenia, si Magister in singulos dies pauculum quid dicit atque enarret, quam si longis ambagibus, magnoque supercilioso diffusam initiat explanationem, ea que animos audientium cibruat. Ita ratiocinatur Pallavicinus, Possevino & rerum experientia & ingenio ac scientiæ amplitudine nihilo inferior. Graves utrinque rationes in medium afferri non inserviant: illud animadverto in præsenti negotio, Possevinum eo scriptissime ævo, quo, provectionis jam ætatis Alumni Literarii Philosophiæ studio admovebantur, & qui dem per plures annos, nec tam fessilanter,

ter, tamque cumulate, ut modo fit, tradebatur hæc scientia. Quapropter longiore ac repetita explicatione, & authorum & interpretum mens ac sententia facilius percipi potuit, nec opus erat, calamo in synopsin contrahere, quæ optima in libris reperiebantur & neccum sat maturis adolescentum in geniis adaptare. Pallavicino autem sexaginta fere annorum spatio nostris temporibus proximiori & experientia & usus postmodum in præcipuas Scholas receptus, atque utilitas rei contrariam opinionem injecerunt. Damnanda igitur prolixior scriptio, quæ de rebus levis momenti fit, quave non pauci pretiosum tempus explicationi suffurantur, unde in invidiam incidit mos dictandi prælectiones : neutquam autem e ludis & cathedris Philosophicis penitus proscribendus est, excutiebusque e manibus juvenum calamus, quam parum militi gladius eripiendus etiam pacis tempore.

## XLIII.

A calamo ad stylum progredior, cuius in philosophia seu dum scripto tradittur, seu dum e libro prælegitur, usus est, non raro parum castigatus : & virgula censoria dignus. Certe subitus a studio amœniorum literarum transitus ad Philosophicum,

cum, id est, ad regionem ut plurimum  
siccām, spinosam, & salebrosam non pau-  
cos juvenum terret: quod si etiam sty-  
lus hispidus, & formulæ loquendi auc-  
scribendi barbaræ ac inconditæ, & nec  
Scythicis Vandalicisque auribus ferendæ  
accedant, quid mirum, si penitus abster-  
reantur, & a suscep̄to tramite retrahan-  
tur? Evidēt fateri oportet, eam esse  
Philosophiæ, sicut & cæterorum, quæ  
sublimiora vocamus, studiorum naturam  
& indolem, ut flosculos & attici stylī  
elegantiam respuant. Nam quemadmo-  
dum sanitati corporis, ita & soliditati spi-  
ritus nihil magis nocivum est, quam ju-  
venes in perpetuis tenere deliciis, &  
adpositis bellariis quotidie pascere. Hac  
enim ratione contrahunt facile mollitem  
quandam, & mentis debilitatem, quæ  
ineptos reddit ad quidquid forte est, ag-  
gregiendum, ad superandas, quæ in hac  
& aliis scientiis subtilioribus passim oe-  
currunt difficultates, ad laborem in per-  
scrutandis naturæ arcanis, ac rebus a cor-  
poris & sensuum contagio remotis. Quæ-  
rere nil nisi delectationem animi in stu-  
dio Philosophico, est velle quotidie la-  
ete nutriti, & in cunis ac infantia fa-  
sciis morari. Æque tamen perniciosum  
est, omnem saporem ac gustum genui-

næ latinitatis ab adytis Sophiæ exclu-  
dere, uti faciunt, qui sibi persuadent,  
totam philosophandi artem in discrimen  
adduci, nisi phrasibus a communi usu  
Latii procul recedentibus res obvias expo-  
nent, & vocibus pro lubidine in omnem  
partem variatis, nunc prolongatis, ab-  
stractis, adulteratis frequentissime utan-  
tur, quibus affirmant, negent, distin-  
guant, explicit &c. omnemque curam  
proprietas abjiciunt, qua re vel maxime  
fir, ut & qui docent, & qui discunt,  
plurimas voces & verba minus latina,  
exoleta, & barbara tam alte in animum  
demittant, atque imbibant, ut etiam  
quum sobria latinitas in colloquio aut  
libris adhibenda foret, prope invitatis,  
certe non advertentibus similia excidant  
ore vel calamo, in quibus etiamnum pue-  
ri in schola Pœseos aut Rhetorice erubui-  
scent. Vitium hoc rei literariæ sane no-  
centissimum invaluit post ea tempora,  
quibus Goths, Vandali aliæque gentes  
barbaræ Latium cæterasque regiones  
finitimas inundatunt; simulque linguam  
populorum corruperunt. Nam e com-  
muni sermone conspurcata latinitas illa  
diffudit se in libros quoque eorum, qui  
de humanioribus ac sublimioribus, & vel  
maxime de sacris disciplinis scripserunt;

præ-

præsertim Monachorum, penes quos fere solos longo tempore scientiarum studium & emporium erat: atque ita ab ejusmodi librorum, etiam summo ingenii acumine in quavis literarum classe conscriptorum lectione ac meditatione in hanc usque diem dimanavit in Philosophiam & Theologiam deplorandum illud fatum, utramque paginam implendi vocibus, phrasibus, distinctionibus plane inconditis, nescio an brevitatis vel potius obscuritatis studio, vel utriusque ut Poeta canit:


*Brevis esse labore,  
Obscurus fio.*

Non ita primi & his proximi Sophi, Plato, Aristoteles, Cicero &c. qui cum se veritate doctrinæ styli quoque nitorem conjunxere: etiam aliqui, sed pauci fuerunt, qui post tristia illa, de quibus dixi tempora veluti reliquias Danaum colligentes, stylo probe latino in literarum negotio usi sunt; in Humanioribus ac Philosophicis Joan. Ludov. Vives, & in Theologicis Melchior Canus. Absit tamen, ut damnare velim novas & his articulis proprias rerum appellations, quas *terminos technicos* vocamus. Cur enim has adhibere suo loco, & his mentem suam explicare non liceat Philosophis,

BIBLIOTH. DOMEST. LIB. VIII. Q quum

quum Pictoribus, omniumque artium & opificiorum cultoribus absque censura id liceat? licet *Tbemistocli*, licet & *Epaminnondæ*. Exponat igitur Philosophus mercem suam clare, strictim, nitide quantum potest & res patitur; caveat autem periodos, phaleras, & quidquid affectatum est in sermone, nec adeo religiose latinitatem sectetur, ut per ambages vocabulorum evolvat ea, quæ brevissima via *terminis technicis* complecti potuisset. Scientia enim hæc, uti sordes sermonis non amat, ita & pigmenta ac ceruſam aversatur.





## C A P U T IX.

### METHODUS DESCENDI AC DO- CENDI PHILOSOPHIAM.

#### §. I.

*Methodus Analytica & Synthetica.*

#### XLIV.

**I**ntellectus humani post primi hominis lapsum ea est imbecillitas & humilis conditio, ut non secus ac homo ipse *in sudore vultus sui* (r) panem querere, ita etiam scientias nonnisi magno labore ac studio comparare sibi cogatur. Hæc non amplius velut primo obtutu & in ideis primigeniis conspiciendas se præbent, sed per intervalla & ambages quasi e latibulis ignorantiae sunt protrahendæ. Nimirum janua ad veritatem, ad quam pervenire commune votum est omnium scientiarum, tot pessulis est obserata, ut nonnisi unam post alteram referare oporteat. Per partes atque per gradus eundum est, & ex cognitis ad incognita

de.

(r) *Genesis* 3.

descendendum. Ad hoc autem consequendum uti cunctis aliis in scientiis, ita vel maxime in Philosophia, opus est certa probataque methodo, quæ non aliud est, quam ordo discendi docendique. Hæc si negligatur, primum est in scepticismum prolabi, ubi veritas semper quæritur, nec invenitur, sed cum perpetua dubitatione luctamur. Quoniam autem prius est veritatem invenire, antequam inventa proponatur, siccirco Philosophi distribuunt *Methodum* in eam, quæ *inventionis*, & & illam quæ *doctrinæ* dicitur. Primæ officium est, ut ideas, judicia, & rationcinationes ita disponere norit, ut latens veritas in apricum producatur, quod fit ope *analysis* seu *resolutionis*, dividendo totum in partes, resolvendo composita in principia simplicia, & revocando effecta ad causas suas. Hac enim via optime veritas investigatur ac reperitur. Alterius munus est, veritatem inventam ac probe cognitam aliis quoque ita exponere, ut clare, distincte, ac solide percipiatur, id quod obtinetur per *synthesin* seu *compositionem*, dum a simplicibus ad composta, ab universalibus ad singularia, a primis principiis ad veritates minus notas veluti pede presso progredimur. Utriusque hujus methodi Analyticæ

Iyticæ ac Syntheticæ discrimen apta similitudine petita ex genealogia declarari potest. Quemadmodum enim ad inveniendam stemmatis originem per gradus tum recta, tum per latera ascenditur, donec primus conditor reperiatur, quæ progressio analytica est; ita ad docendam originem jam cognitam sumto a majoribus initio per posteros paulatim descenditur, donec ad illum perveniatur, cuius origo demonstranda est, quæ ratio explicandi Synthetica vocatur. Sic D. Evangelista Matthæus (s) genealogiam Christi synthetice ab Abrahamo deducit: contra D. Lucas (t) analytice per Progenitores ad Abrahamum & ultra prosequitur. Atque ex his patet, methodum Syntheticam exordiri ab eo, quod postremo loco inventum est ab Analytica, ibique finem facere, ubi ea initium duxit. Ultraque methodus in scientiis seu comparandis seu tradendis summopere commendari meretur: Synthetica tamen Analyticæ in docendo præferri solet, quoniam ordine brevissimo ac solidissima ratione a primis & generalibus principiis ad rem propositam demonstrandam descendit. Non ita tamen religiose huic in-

ha-

(s) *Cap. I.* (t) *Cap. 3.*

hærendum esse existimant non pauci, ut altera excludatur, sed utraque non raro, uti res demonstrabiles ac dissentium ingenia postulant, utiliter commiscetur, unde methodus *mixta* exurgit. Ne autem ulla istarum trium vaga sit & incomposita, earundem dotes præcipuae sunt memorandæ, ac certæ leges constituendæ, incra quarum limites contentæ eo certius utilitati ac necessitatì tum docentium tum dissentium serviant. Universæ loquendo methodi decora sunt *perspicuitas*, *brevitas* & *soliditas*. Ad primum obtinendum adhiberi debent claræ notiones seu *termini*, tales nimurum, qui rei cuiusque propositæ notas & significantias nobis exhibeant, ad eam agnoscendam & ab aliis discernendam aptas. His enim si obscuris aut dubiis utamur, ipso statim in limine cæcatiemus. Opus igitur erit, accurata definitione *terminos* omnes explicare. Tum ex his propositiones per proprias iis leges ita ordinentur, ut inter id, quod subjicitur, & quod prædicatur, clare adpareat convenientia vel discrepantia, & e notis seu præfixis seu tacitis tum generalia & singularia, tum affirmantia & negantia rite intelligantur. Demum ratiocinationes ea ratione pertractentur, ut constanter præcedant illa, unde

unde cognitio sequentium pendet. Alterum seu *brevitas* habetur, si præmissa facili materiæ occurrentis distributione, velut corporis in membra, missis ambagibus & resectis inutilibus circa quasvis voculas altercationibus, singula nitide ac stylo rebus accommodato exponantur: si præmissis quibusdam principiis notis redita veluti via ad inferendas veritates cognitas descendatur: si adassertiones illatae paucis sed validis rationum momentis stabiliantur, unde vis omnis profluat ad ea refellenda, quæ in contrariam partem objici possunt: si dicendorum ordo ejusmodi servetur, ne priora identidem repetere necessum sit. Denique tertium seu *soliditas*, ut obtineatur, oportet uti principiis nonnisi certis ac demonstratis, aut si pro materiæ conditione haberi demonstratio nequeat, quam fieri potest probabilissimis, satisque probatis; neque ulla probatio admittenda, si non ex ejusmodi principiis deducta sit. Probabilia vero a certis probe discernenda sunt, nec tanquam certum vendi debet, quod solum intra probabilitatis fines continetur. Præterea propositiones, quæ demonstrationem sequentem ingrediuntur, jam sint manifestæ ac demonstratæ in antecedentibus. Ad extreum ratiocinationes sic

disponantur ac promoteantur ita, ut posterior ab ea quæ præcedit, vim & robur, ac lumen accipiat, & prior posteriori loco principii serviat. In hac enim ratione probationumque catena virtus omnis methodi consistit. Atque hæ leges ac præcepta sunt utriusque methodo seu Analyticæ seu Syntheticæ communia; quamvis etiam quælibet ex his peculiares quoque admittat.

## §. II.

*Methodus Mathematica & Scholastica.*

## XLV.

**N**unc ad formam methodi. Ab omnibus retro tempore viguit, vigetque etiamnum in bene moratis disciplinarum sublimiorum domiciliis ea, quam *scholasticam* vocant; non tamen desunt, qui vel nominis hujus pertæsi toto conatu *mathematicam* substituunt. Hæc quæstionem propositam per definitiones, axiomata, postulata, hypotheses, consectaria (vulgo *corollaria*) scholia seu animadversiones ad id usque perducit, quod erat demonstrandum. Illa vero, nimis Scholastica, post accuratas definitiones, claras divisiones, & ratiocinationes legibus conformes per legitimam argumentationem

nem infert propositionem unam ex alia,  
& quæ opponuntur, refutat. Intercedit  
autem inter utramque non leve discrimen.  
Quippe Mathematica gaudet evidentiis,  
Scholastica ut plurimum probabilitate:  
hæc contentiosa est, & per syllogismos  
ac enthymemata procedit: illa vero de-  
monstrazione rei propositæ contenta est,  
nec plerumque se occupat dissolvendis  
iis, quæ opponuntur. Jam vero acris  
hodie fervet contentio, & velut pro aris  
& focis certatur inter Philosophos, quæ-  
nam ex his aptior, immo aptissima sit ad  
scientias tradendas. Mathematicam me-  
thodum duce Welfio usque ad sidera  
extollunt non pauci, nullamque veritatis  
inveniendæ ac docendæ viam certiorem  
esse brevioremque palam jaētant, ita ut  
quidquid hac methodo scriptum non sit,  
Eruditis jure stomachum movere afferant.  
Fuerunt etiam (quod vitium est homi-  
num majore ingenio quam prudentia præ-  
ditorum) fuerunt inquam, qui impetu  
quodam abrepti, & amore hujus metho-  
di velut insanientes, eam non solum in  
Philosophiam, verum etiam in Jurispruden-  
tiam, Theologiam, & in ipsas etiam sacras  
Cathedras invehere sunt conati: quo jure,  
quove emolumento, operæ pretium erit,  
breviter heic discutere. Evidem fateri

oportet, ubi veritas una ex altera evi-  
denter deduci potest, ita ut in partem  
adversam nihil possit opponi ab ullo, qui  
notionum primarum vim & significatio-  
num coherentiam rite perspectam habet,  
methodo Mathematicæ vel maxime locus  
est, & quidem præcipuus, quum bre-  
vissimam & invictam demonstrandi ratio-  
nen in se contineat. Ast ubi materiæ  
duntaxat probabiles occurrunt, uti fit  
in plerisque dogmatibus Philosophicis,  
aut riduculum erit, affectare demonstra-  
tionis rigorem, eoque quandam eviden-  
tiæ speciem velle effingere; aut inane  
quid ac tædio plenum est, notam rei proba-  
bilitatem per longas definitionum, axioma-  
tum, hypothesum, consectariorum, scho-  
liorum ambages circumducere, quorum nec  
singulis nec omnibus certum veritatis ac de-  
monstrationis inest vestigium. Non om-  
nis equus ad iter faciendum hippodro-  
mi legibus est regendus: nec ad severa  
militiæ præcepta miles in acie cum ho-  
ste confi-gens adstringendus est, quemad-  
modum in castris & intra urbis moenia  
consistens. Et si diversis artibus ac op-  
ficiis diversa sunt instrumenta, nec idem  
omnibus efficiendis sufficit, cur eadem  
scientias omnes pertractandi forma adhi-  
beatur? ubinam in regno probabilitatis  
prin-

principia illa certa, definitiones, axioma-ta, hypotheses inconcussæ, super quas veritatis solum probabilis aut probabilioris demonstratio pede firmo consistere possit? Si autem ista deficiant, nullus erit finis seu negandi seu probandi ipsas definitio-nes, axiomata, hypotheses &c. Non ra-ro contingit, ut qui thesin aliquam pro-babilem defendit, adversarii argumentum patiens sustineat, nec explodat, quamdui intra probabilitatis limites ille se con-tineat: at ubi demonstrare se velle jacti-tat Adversarius, defendens illico negat ac pernegat id, cui probationis quidem vim inesse fatetur, neutquam autem de-monstrationis. Longe facilius, felicius-que negotium hoc conficit methodus Scholaistica, dum a facilioribus ad diffi-ciliora, a notioribus ad minus nota, a certis ad dubia velut recta via & presso pede per syllogismos aut alia ratiocina-tionum genera progreditur, attendens quid sibi negetur, quid concedatur, ita ut semper præcedens conclusio trahat sequentem, aut sequens confirmet præce-dentem.

XLVI.

Ex his patet, minus commodam esse scientiis aliis, præsertim Philosophiæ,  
Ma-

Mathematicam methodum. Sed plus dico : etiam noxia est , nimirum , illa , quam Wolfianam tanto cum plausu commendant docti cæteroquin viri , istius pedissequi. Neque defunt assertioni huic gravissimæ rationes : primo quidem cruciandis potius dissentium ingenii , quam poliendis perficiendisque nata est . Circumducit enim Lectorem , dum dogma quoddam Philosophicum demonstrandum suscipit , per innumeros paragraphos , saepe ad rem non facientes : nunc remittit πρότερον seu ad antecedentes paragraphos , nunc δέπερνα ad sequentes ; ab his iterum ad alios , neque solum in eodem , sed omnibus fere , quos de re Philosophica edidit , libris dispersos : ad Logicam , ab hac ad Ontologiam , ab ista ad Psychologiam , a Psychologia ad Cosmologiam , a Cosmologia ad Theologiam naturalem &c. Atque ita fit , ut quum in uno loco de inventa demonstratione securum te credebas , mox ad aliud migrare cogaris , non secus ac Venator , quem fugax cerva per cunctos sylvæ latissime patentis angulos circumagit , ac denique lassum omnis prædæ capiendæ spes destituit. Certe post longissimam indaginem vel non repieres demonstrationem promissam , vel in labyrintho

rintho locorum citatorum deprehensus  
oblivisceris prioris viæ ac redditus, vel  
non nisi tenue vestigium veritatis inve-  
nies, aut omnino extra semitam illius  
ad alia abripieris, quæ ad rem præsen-  
tem non pertinent. Quid obsecro id  
est, nisi cruciare ingenia, memoriam de-  
bilitare, ac demum tempus nobilissimum  
perdere volvendo & revolvendo libros  
omnes Wolfii. Quapropter aptam, li-  
cet non sine sale, crisin tulisse videtur  
D. de Crusaz seu Crusa (u) scriptor Aca-  
tholicus, dum frequentes Wolfi para-  
graphorum circuitus vocat *circulos vi-  
tiosos*, ejusque methodum servire ait  
magis typographis & bibliopolis ad lu-  
crum faciendum (quam omnia illius  
opera emi debeant ad invenienda, quæ  
ubique sparsim citat) quam discipulis ad  
veram studii Philosophici rationem: sub  
magno nomine Ontologiæ nil reperiri,  
nisi res inutiles: Logicam Wolfi ideis  
confusis esse refertam, aptissimamque,  
ut nauseam creet ob ambages, quibus  
utitur sœpiissime in iis, quæ duobus ver-  
bis dici potuissent &c. Ita de *verilo-  
quio & falsiloquio* Tom. 3. de *Jur. Nat.*  
*cap. 2. propositiones centum sexaginta*  
et

(u) In lib. *Observations Critiques sur l'Abregé de la Logique de Mons. Wolf.* à Geneve 1744.

& unam longissima serie velut catenam protendit, easque prolixis commentariis auget, ut tandem mendacium esse licitum ob publicam necessitatem grandiore mendacio evincat. Alterum, quod merito exosam reddit hanc methodum Wolfianam, est, quod lectorem semper suspensum teneat. Incipit enim, quin sciatur, quo tendat: si in legendendo pergit, mox nova fere res offert, sed denuo quo collineat, ignorat. Non ante præmonetur, de qua re tractandum sit: eundum ipsi per tenebrosos anfractus argumentorum sine prævio lumine, & ubi novi quid incipiat, non docetur, neque partium nexus ullibi adparet: sæpius eadem res repetitur, demonstrantur longa serie, quæ nulla indigerent demonstratione, & ubi hac opus esset, vel saltem apta probatione, remittitur lector ad alios paragraphos, ad alias propositiones, ad alios libros, usquedum quærendo legendoque fessus succumbat, contingitque illi, quod viarum ignaro, qui ab uno itineris indice ad alium nunc dextrorum nunc sinistrorum ire jubetur, donec loco, ad quem tendit, penitus excidat, & in labyrinthum incidat. Quod autem absque bile audiri nequit, si qui viri in Philosophiæ ac Mathe-

Mathesis studio clarissimi conquerantur, non reperire se veritates, quas tanquam demonstratas jactat Wolfius in libris suis, continuo grandi supercilie Welfiani respondent, eos esse indociles, tardi ingenii, & ad penetrandas veritates minus apti, expertes methodi, ac in vera Logica, Metaphysica, Psychologia peregrinos. Nimirum unus fere Wolfius sapit, & in disciplina morum res quamplurimas, sine quibus hominum vita consistere nequit, antea ignoratas primus ipse velut terras incognitas methodi ope detexit, quemadmodum in præfationibus suis non obscure innuit. Quæ hæc jactantia! Denique, methodus Welfiana etiam apud Acatholicos prudentiores non solum parvo in pretio est, verum non modice quoque vapulat. Erupta quædam societas Lipsiensis scripto cuidam Periodico, quod *Hebdomadarium* vocant, inferuit hanc de Wolfii methodo crisi (x): *Nimium olet scholam, & absolutus est pedantismus, si mathematica methodus tam stupendo in pretio beatetur, existimeturque, nihil recte cogitari sine bac posse. Cicero, Plato, Aristoteles, Leibnitius omnium seculorum admirationi erant, et si rigorosa hoc me-*

tboda

256 Cap. IX. *Methodus discendi*  
*thodo non conceperint cogitata.* Admo-  
dum pauci homines ea sunt patientia,  
ut tractationem *vigoresissima* methodo ad  
*nauseam usque extensam* perlegant. En!  
*pædantismum* plenis buccis alias crepant  
Philosophi heterodoxi, eumque regnare  
in scholis Societatis ad invidiam conci-  
tandam perpetuo vociferantur: nunc  
eorum in hortis crescit & dominatur  
hoc lolium. D. Crussaz loco superius  
citato apud Eruditum Desingium (y)  
ubi methodum Wolfianam perstin-  
git: „ quamlibet, inquit, scientiam tra-  
„ ctare per definitiones, axiomata, theo-  
„ remata, problemata, corollaria, scho-  
„ lia, hoc re ipsa nihil aliud est, quam  
„ superficiem & corticem Geometriæ se-  
„ etari &c. Nihil legi potest obscurius &  
„ implicatum magis, quam quæstio de  
„ origine id earum, ut illam D. Wol-  
„ fius exponit &c. Deceptionis & inver-  
„ si ordinis adeo amans est, ut nullo  
„ amplius hujus rei sensu tangatur. Nisi  
„ tempus pretiosum esse & si fas esset  
„ aliquot septimanas perdi facere ab ali-  
„ quo tyrone meæ curæ commendato,  
„ facerem ipsum percurrere omnes pa-  
„ ragraphos, quos Wolfius allegat.  
„ Hoc quidem malum esset pro tyrone  
meo:

(y) *Diatrībe de methodo Wolfii c. 5.*

„ meo: sed grande hic posset oriri bonum pro permultis aliis, qui hac experientia (stultorum magistra) convinci possent, quam cæco impetu juvenes obsequantur hortationibus querundam *pedantum*: nimirum qui „ D. Wolti Logicam & Methodum „ commendaverant.,, Hinc mirum nemini videri debet, Wolfium, magnum illud in ore multorum nomen, theatro quod per tempus aliquod occupavit, Philosophico sensim excedere, uti olim Gassendo, Cartesio, & aliis Neotericis contigit. Ferunt enim, ejus docendi methodum in quadam regali ditione acatholica Principis Magni iussu a scholis proscriptam fuisse, tanquam noxiā juventuti, ejusque ingenii destruendis potius, quam instruendis aptam. Hæc tamen neutquam officiunt famæ Wolffi, Viri in Mathematicis & Physicis disciplinis admodum periti, sed methodum ipsius in Physicis rebus tractandis duntaxat tangunt, atque perstringunt.

Quam diversa, meliorque facies est methodi scholasticæ, tot jam seculorum usu comprobatae in toto regno Literario? Quippe instructa est illis dotibus, quæ ad bonam, immo optimam docendi

BIBLIOTH. DOMEST. LTR. VIII. R di-


discendique rationem ab omnibus re-  
quiruntur. *Clara* est, *Ordinata*, & *Solida*. *Clara*, dum voces ac notiones  
suas, seu terminos perspicua definitione  
explicat & eorum vim ac potestatem  
declarat, certisque legibus circumscribit:  
dum totum in partes accurate distribuit,  
& a generalibus ad singularia descendit:  
dum *statum quæstionis* ut vocant, dilu-  
cide exponit: dum argumentationes ad-  
hibet breves, & intra regulas formæ  
syllogisticæ probe conclusas. *Ordinata*,  
siquidem Scholastici in ipso limine quo  
tendant, quamvis in quæstionis alicujus  
tractatione rationem sint habituri, ante  
oculos ponere solent; quid primo quid  
secundo loco dicturi sint, enumerant,  
ut velut in digitos mitti omnia valeant:  
tum a facilioribus ad difficiliora, a no-  
tiotibus ad ignota progrediuntur, præ-  
missis quæ certa sunt, minus certa &  
dubia ad eum veritatis gradum, quem  
adsequi possunt, promovent per Conclu-  
siones, quarum una post se trahat alte-  
ram, aut sequens confirmet præceden-  
tem. *Solida*, nam ea, quæ demon-  
strationem admittunt, per varia ra-  
tiocinationum genera, præcipue per  
syllogismos validissime demonstran-  
tur, nec minore vi, quam ipsa  
me.

methodus Mathematica suppeditare possit, quum Philosophia fatente etiam Wolfio (z) methodum suam non mutetur a matthesi, sed perinde ac matthesis eam ex veriori Logica bauriat. Illa vero, quæ probabilitatis fines non egrediuntur, argumentis minime dubiis ita firmat, ut prudentem assensum mereantur apud omnes, qui non sophismata & cavillationes amant. Demum quæ à parte adversa opponuntur, fortiter infringit atque refutat; secus ac Neoterici cum Wolfio faciunt, qui frequenter propositiones, quas ponunt, levi ratiuncula quadam velut obſignant, parum sollicitū de refellendis gravibus argumentis, quæ adversarius intorquet. Patet igitur, quod initio dixi, Scholasticam methodum rigidæ illi Mathematicæ in Philosophica palæstra præhabendam esse, cui sententiae subſcribit Eminens purpura & Scientia Philosophus Cardin. Ptolomæus S. J. (a) qui politiori Philosophiæ, præfertim Physicæ, quam experimentaliter vocant, ex aſſe deditus, licet plurimum tribuat methodo geometricæ, fatetur tamē

(z) In Log. Ration. diſcur. Pralim.

(a) Art. Log. l. 3. c. 4.

men eodem loco: „Sobrie se in Philo-  
 „ sophia sua, & duntaxat ex parte uti  
 „ methodo geometrica; hoc enim ad  
 „ cavendum positum esse e regione pe-  
 „ riculum, si geometrice omnino Phi-  
 „ losophica pertractentur, quod usu  
 „ ipso & aliorum conatu compertum  
 „ sit, nec in omni passim proposito ad  
 „ philosophandum argumento præstari  
 „ posse, nisi tantum in speciem, efficta  
 „ videlicet, non inventa serie & pro-  
 „ page propositionum male invicem  
 „ aptatarum, & cohærentium: & ubi  
 „ methodum illam materia patiatur,  
 „ simplicitate ipsa sua implexam reddi  
 „ non sine tædio legentium, & memo-  
 „ riæ labe.,,



# CAPUT X.

## EPICRISIS SUPER PHILO-SOPHIAM UNIVERSAM.

### §. I.

#### *Philosophia Vetus.*

### XXLVII.

**N**on tantum seu ingenii seu authoritatis mihi arrogo, ut judicium quasi decretorum ferre velim in rebus tam ambiguis, uti sunt Philosophicæ, quis scriptorum, quæ methodus, quodque systema præferendum sit alteri, quæve norma tradendi hanc scientiam in regno hoc literario communibus studiis & publicis, suffragiis stabilienda sit. Sufficiet sënsa privata in hoc negotio prodere, relicta cuivis aliter opinandi judicandique libertate. Quatuor autem potissimum scientiæ hujus periodi considerandæ veniunt: primam periodum *Philosophia Vetus*: alteram varia illius sors & mutatio: Tertiam ea, quæ Recentior dicitur, quartam Eclectica constituit, quæ hodie dominatur. Antiquam fundarunt & monumentis post se relictis illustrarunt scientiæ istius Princi-

pes Thales Milesius, Pythagoras, Socrates, Plato & Aristoteles præter alios, de quibus in Historia Philosophiæ mentionem feci. Thales ab Ægyptiis multa doctus, quæ ad Astronomiam & Geometriam pertinent, primum cœlo contemplando se applicuit, & obliquam Zodiaci viam, Tropicorum & Zonarum cœlestium numerum, diametrum solis, ejusque cursum annum, atque eclipses explanavit. Tum ad terrestria conversus unicum statuit rerum omnium principium, nempe aquam, teste Tullio (b) quid autem aquæ nomine intellexerit, non satis constat; utique non solum hoc elementum, sed fortasse illam, de qua in mundi Opificio loquitur S. Scriptura Genes. cap. 1. quum & Ægyptii & Græci multa e Sacris Codicibus mutuarint. Nomen *Philosophi* sibi comparavit, dum ex principiis certis veritates deduxit aliarum rerum non ita certarum, quod proprie est Philosophorum: nomen vero *Sapientis* ob moralem civilemque prudentiam, qua excelluit. Disputationes suas literis mandavit, uti refert D. Augustinus (c), quæ tamen ultra Socratis & Platonis tempora non pervenerunt.

Pytha-

(b) In Lucullo. (c) Lib. 8. de Civit. Dei cap. 2.

Pythagoras (qui Scholæ suæ reverentiam conciliavit discipulorum silentio religioso, quibus de hausta doctrina loqui fas non erat ante quinquennium) docendi methodum tenuit reconditam ope geometriæ, per quam res sensibus obnoxias declaravit, & numerorum, per quos ea explicavit, quæ a sensibus sunt remota, & soli pervia intellectui. Melior fuit, magisque ad regulas composita Pythagoræ schola, quam illa Thaletis. Naturalem tamen doctrinam funestavit absurdum dogmate περὶ μετεμψυχῶσσας, seu animalium ex uno corpore in aliud vaga migratione: moralem vero ea doctrina, quam de duobus principiis *bono* scilicet & *malo* tradidit, cui postea Manichæi sectam suam & errores superstruxerunt. Socrates, qui a Cicerone *primus Philosophiam devocasse e cælo* dicitur, præcedentium Philosophorum doctrinas satis dispersas in ordinem redigere cœpit, atque ac scientiam ex illis construxit. Ita disputare solitus erat, ut parum affirmaret, plus vero refutaret. *Socrates, ipse sibi detrahens*, ait Tullius (d) in *disputatione plus tribuebat iis, quos valebant refellere.* Quare aptior erat ipsius Philo-

(d) *Lib. 4. Academ. Quæst.*

Philosophia destruendo falsum, quam verum stabiliendo. Fundamenta quidem jecit, & rudia velut lineamenta duxit Dialecticæ, Moralis, & Physicæ: ratiocinationis tamen felicitatem & famam posteris reliquit. Plato, quem *quemdam quasi Deum Philosopherum* adpellat Cicero (e), vir incredibili quadam ingenii vi præditus, postquam rediit in patriam, in *Academia seu horto Athenis* adscito, scholam discipulis fere innumeris undique convolantibus erexit, cuius limini jussit inscribi: *Nemo geometriæ ignarus ingreditor.* Quam dilertus, floridus & magnificus erat in sermone (explicavit fere omnia per Dialogos) tam parcus fuit & timidus in doctrina sua stabilienda, quod vicium a Socrate Magistro suo traxisse videtur. Quippe in *Platonis libris nibil affirmatur, in utramque partem multa differuntur, nibil certi dicitur* (f). Aristoteles primus dispersa Philosophiæ membra in unam corpus collegit (g), artemque syllogisticam ex ingenio suo depromulit, per tot secula in scholis etiam celeberrimis dominantem. Hunc Plato *naturæ Spiritum*, Plinius summum in omni doctrina & immense subtilitatis virum adpellat; Averroes Aristotelis disciplinam afferit summam esse

(e) *Lib. 2. de nat. Deor.* (f) *Lib. Academ. quest.* (g) *Laertius lib. 5.*

esse veritatem, quoniam ejus intellectus fuit finis humani intellectus, datus nobis divina providentia, ut sciremus, quidquid sciri potest. Non tamen omnino cavit hic Philosophiae sol maculis suis. Imprimis graves ei errores objectant non pauci, circa Authorem omnium, mundi originem, naturae regnum, animae immortalitatem, & circa mores ac pietatem; quamvis non desint viri magni, qui Aristotelem ab his criminibus absolvere conentur. Non minus in Physicis de motu ac æternitate illius, de tempore & loco, de cometis, iride, aliisque meteoris quibusdam, de cœlis & sphæra ignis supra lunam, de constructione corporis humani &c. eundem saepius allucinatum fuisse multi credunt, licet non tam ingenio Aristotelis, ubique in suis ratiocinationibus æque fortis ac validi, quam defectui experimentorum, & rerum naturae tam sagaci indagine nec dum exploratæ tribuendum hoc esse censent. Demum obscuritas in scribendo & explicando Aristoteli a plurimis vitio datur. uti enim Pythagoras plerumque symbolis, & Plato allegoriis, ita Aristoteles stylo nimium conciso sensa sua involvere videntur, non tam ad informandos sectatores suos, quam scholastico bello inter se commitendos, dum mentem suam aliis imper-

viam relinquit. Unde Laertius eum compare non dubitavit pisci, qui aquam turbat ob metum, ne capiatur. Non desunt tamen, qui hanc caliginem non tam ab Aristotelis profundo ingenio, sed tum ex materiarum quas tractat, subtilitate, tum ex Commentatorum (ultra quingentos quidam numerant) dum lucem affundere studuerunt, tenebras adspersentium diversitate ortam fuisse existimant. Omnes vero hi Philosophiæ Principes antiqui ævi, Thales, Pythagoras, Socrates, Plato & Stagirita habuerunt sectatores & discipulos plurimos, qui non solum magistris suis, verum etiam eorum opinionibus mordicus inhæserunt. Hinc tot sectæ Philosophorum in lucem prodiere, & cum sectis altercationes innumeræ. Nam ut recte notat Ludovicus Vives, multi horum in id acriter invigilarunt, qua ratione male a se prolata defenderent, ab aliis vero bene dicta impugnarent. Inter has autem rixas & diversa opinantium tumultus silere, quin & latere coacta est veritas cum ingenti discrimine genuinæ Philosophiæ, factumque, ut sequentibus temporibus Socratis, Timæi, Platonis, Plinti, Ciceronis & Senecæ scripta removerentur, quæ plurimum lucis ad naturæ arcana de cœlis, elementis, animalibus & stirpibus detegenda poterant after-

afferre, iique ut plurimum Aristotelis libri adsumerentur, qui rixantium circulis essent aptissimi, neglegētis aliis, in quibus doctrinam de animalibus, problemata & meteora acute non minus quam docte expōnit. ita qui promptissime poterant litigare, ingenium metaphysicum habere protinus dicebantur. Hæc de antiqui ævi Philosophis.

§. II.

*Varia fors Philosophiæ.*

XLVIII.

**S**ub medium, uti varia fuit fortuna Philosophiæ, ita & scriptorum diversæ opiniones ac sensus fuerunt. Initio quidem Peripateticorum secta fere sola principatum etiam Romæ obtinuit, ubi doctis eam commentariis illustrarunt Athenodorus Tharsensis, Nicolaus Damascenus sub Augusto Imperatore, sub Adriano Favorinus, sub Marco Aurelio & Lucio vero Sogenes, sub Marco Antonino Galenus, sub Gratiano Dydimus S. Hieronymi Praceptor &c. At aliquo post Christum natum tempore Platonica lensim caput erexit, & ab ipsis Christianis ad religionem adversus Idololatrias defendendam culta fuit: Multis tamen er-

roribus detectis Tertullianus, Firmianus Lactantius, Arnobiusque eam vehementer impugnare cœperunt. Et re ipsa similitudine quadam hujus sectæ cum Christiana minus cautos decipiente, priscarum omnium hæresum, quæ primis tribus seculis exortæ fuerunt, historia palam facit, Simoniacos, Valentinianos, Marcionitas, Manichæos ac cæteros non aliunde quam ex commentis Platonicis subornatos fuisse ad fabricanda illa errorum monstra, ad quæ debellanda Patres illi arma stringere coadi sunt. Non tamen defuerunt alii Patres, sacrique Scriptores, qui plus Platoni quam Aristoteli adhæserunt, a cuius Philosophia alienum conceperunt animum propter temporum illorum hæreticos, qui armis sophistieis e logica Aristotelica depromtis tum ad errores suos tuendos, tum ad Christianos simplices seducendos frequenter usi sunt. Hinc primi Ecclesiæ Patres ac Scriptores, uti eorum in libris licet comprehenderem, Platonicum quoque stylum ac methodum adhibuerunt, sermone amplio & ad motum potius affectumque, quam præciso & acuminato ad leges dialecticas composito. Neque gravibus censuris abstinuerre, quibus Aristotelem ejusque doctrinam perstrinxerunt. Tertullianus (h): *Inferunt,*

(h) *Lib. de prescript. cap. 7.*

runt, inquit Aristotelem, qui illis Dialecticam instituit, artificem struendi & destruendi verisipellem, in sententiis coactam, in conjecturis duram, in argumentis operatoriam contentionem, molestam etiam sibi ipsi, omnia retractantem, ne quid omnino retractaverit. Faustinus adversus Arianos scribens ait; ubi nunc sunt impia illa vestra sophismata, quae Aristotelis Episcopi vestri magisterio didicistis? D. Ambrosius (i): Sic enim Arianos in perfidiam ruisse cognovimus &c. Reliquerunt Apostolum, sequuntur Aristotelem. Eo denique res devenit, ut & Aristotelis & Platonis schola, utraque mutuis vicissitudinibus propemodum extincta fuisse visa fuerit. Nihilominus brevi mutata est sinistra de Aristotelis doctrina opinio: præcipue Dialecticam ejus summi inter Christianos Viri mirum in modum commendarunt, inter quos D. Hieronymus & Augustinus: Severinus vero Boetius Aristotelis opera incredibili studio primus latinitate donavit, quæ tamen rursus bonis literis per Barbarorum incursiones fusdeque versis Arabes duo Philosophi Avicenna & Averroes obscurarunt, quorum alter græcæ linguae ignarus Cœlio Rhodigino, alter D. Thomæ non tam Peripateticus, quam Peripateticae depravator audiit. Porro e-

(i) In Psalm. xix.

frequenti cum Arabibus commercio novum  
Philosophiae genus Raymundus Lullus mo-  
liri coepit, scilicet Chymicum, immo &  
Cabalisticum, quod promoverunt per ali-  
quod tempus adscita in partem laboris me-  
chanica Cardanus & Paracelsus. Sed hoc  
quoque somniis, mysteriis, & arcanis nescio  
quibus divinationibus plenum, vix bene  
ortum etatem non tulit, sed brevi interiit,  
nonnisi fumo post se relieto. Prodierunt  
denique illo maxime seculo, quo in Galliis  
vapulabat Aristotelis Philosophia, Viri omni  
exceptione maiores Albertus M. D. Tho-  
mas Aquinas, & Alexander Alensis, qui  
eam magnopere depravatam atque corru-  
ptam doctissimis commentariis illustrarunt;  
unde orta est *Scholastica*, seu Philosophia  
Aristotelica in scholas introducta, & com-  
munibus suffragiis recepta. Hæc ipsa ta-  
men in tres denuo sectas & scholas abiit:  
prima, quam *Thomisticam* nuncuparunt  
ab Auctore suo D. Thoma, oriundo e co-  
mitibus de Aquino, Doctore Angelico:  
alteram erexit Joannes Duns natione  
Scotus, scilicet *Scotisticam*, Doctor Sub-  
tilis adpellatus. Tertiam seu *Nomina-  
lem* Guilielmus Ochamus fundavit, quem  
Doctorem *Singularem* & *invincibilem* di-  
xere. Thomistica latissime per Academias  
& cathedras publicas dominata est ob in-  
genii

genii aciem & doctrinæ soliditatem. Scotistica plus privatos intra parietes cultorum suorum constricta fuit, subtilitate sua commendanda: Nominalis vero una cum nominibus, quibus ubique adhærebat, multum clamoris parum utilitatis intulit scholis. Horum omnium præsidio potenti fulta *Scholastica* per plura secula in Philosophorum gente principatum obtinuit; ob mutuas tamen *Thomistarum*, & *Scotistarum*, *Nominalium* & *Realium* pugnas & bella civilia, nimiamque in argutiis & subtilitatibus metaphysicis sectandis contentionem, criminationum & odiorum femina in se jam tunc excitasse visa est. Intercessere illi, quos *Recentiores* vocant, qui que nulli certæ sectæ ex professo addicti sunt, nec in verba Magistri jurare solent. Hoc nomine designarunt præcipue Societatis Jesu homines, qui in varias & clarissimas Europæ Academias, earumque cathedras recepti seniora Aristotelis placita, & Doctoris Angelici dogmata ut plurimum secuti sunt cum magno Peripati splendore ac incremento. Studuerunt enim clara simul & contracta methodo sensa sua explicare, doctrinam latissime sparsam in ordinem redigere, & dissentium utilitati ratione qua poterant optima consulere, ita ut Viros in republica sacra & profana ma-

ximos

ximos ex horum scholis prodiisse apud omnes in confesso sit. Philippus Alegambe (k) quadraginta quinque numerat societatis hujus, qui in universam Philosophiam commentati sunt; septuaginta quinque vero, qui varias partes Logicam, Metaphysicam, Ethicam, Politicam, oeconomiam editis in lucem libris illustrarunt. Inter hos eminuerunt notissima orbi literato nomina: Franciscus Suarius, Gabriel Vasquez, Franciscus Oviedo, Thomas Comptonus, Petrus Hurtado de Mendoza, Sfortia Pallavicinus, Toletus, & Ptolomæi, tres Purpurati Patres. Opposuerunt se tamen totis viribus Aristotelicæ doctrinæ, maxime ejus Dialecticæ illi, quibus formidandam se præbuit, nempe Lutherus, Calvinus, Bucerus, aliquique errorum magistri, probe agnoscentes, arte syllogistica & disputandi methodo fraudes suas detegi ac everti. Nec minus Janseniana factio, quidquid fellis est, in Aristotelem ejusque sequaces dudum evomuit. Certe hac de re seculo nostro notissimus & eruditissimus Scipio Massejus in *Jansenismo novo n. 2.* ita scribere non dubitavit: „Cum „vere inter omnes antiquos speciatim re- „plendeat Aristoteles, inque celeberrimis „suis

(k) In Bibl. Script. Societ. usque ad annum 1676.

„ suis tractatibus præcipua cum veterum  
„ tum recentiorum sectariorum axiomata  
„ funditus evellat, ac destruat, in Aristoteli-  
„ tem potissimum ipsorum (Janseniano-  
rum) invectivæ ac tela torquentur. Credi-  
„ volunt hunc Philosophum sentinam om-  
„ nium hæresum, & fontem gravium om-  
„ nium in rebus credendis offendionum, vi-  
„ denturque sibi, quando ostenderunt opi-  
„ nionem aliquam a peripateticis non dissim-  
„ dere doctrinis, eadem etiam opera hanc  
„ Christianam non esse demonstrasse, . . .  
Pergit idem Auctor ita loqui n. 5. „ Quan-  
doquidem autem hodie nonnullorum ope-  
ra adeo divulgata fuit execratio Aristoteli-  
telis, adeoque invaluit opinio, quod  
ad hæreses viam sternat, abs re non fue-  
rit, ostendere, in quanto hi homines  
versentur errore, & quomodo ex adver-  
so nemo gentilium ad doctrinas Catho-  
licas proprius illo accesserit, . . . Ad fi-  
nem autem n. 4. affert testimonium Lau-  
noii, accerrimi cæteroqui hostis Sta-  
giritæ, qui *in lib. de varia Aristotelis for-  
tuna in Universitate Parisiensi c. 17.* refert,  
Facultatem Theologiam ad annum 1624.  
solemni decreto proscriptisse propositiones  
aliquas quod essent ex professo contra doctri-  
nam Aristotelis omnium Philosophorum sine  
controversia principis. Quare mirum vi-

deri non debet, nihil hac in re a sanioribus scholis mutatum, sed potius cautum, ne respublica Catholica detrimenti aliquid patiatur.

## §. III.

## Philosophia Neoterica.

## XLIX.

Postquam Aristotelica, ut dictum est, Philosophia per medium ævum late regnavit, limites ei posuit novum sive Recens, quo seu tedium Logicarum ac Metaphysicarum subtilitatum, quibus multi Peripateticorum collotenus se immerserunt, seu honestissima voluptas in detegendis ope studii physici arcanis naturæ, permultos ad novam philosophandi rationem concitavit. Primi, qui magno rem arduam conatu aggressi sunt, fuerunt Franciscus Baconus de Verulamio in Anglia, & Galilæus de Galilæis in Hetruria, quibus accessit Robertus Boyleus Anglus. Hi triumviri labore improbo totam naturæ penum excussere, ac physicam ad staticæ ac mechanicæ leges composuerunt, additis inventis plurimis. Novitas rei & nominis fama continuo excitavit alios bene multos, ingenio, manu & calamo præstantes viros, qui operam

omnem protrahendis in lucem rerum naturalium abditis thesauris impenderunt, ita ut brevi tempore aliam mundus Philosophicus faciem induisse sit visus. Commerciū cum cœlestibus per Telescopia instituit Galilæus, maculas & faculas in sole detexit Christophorus Scheinerus S. J. comites Jovis idem Galilæus, & satellites Saturni Cassinus: in Luna terras & maria, montes & valles Hevelius, Keplerus, Grimaldus S. J. Hugenius &c, motuum leges sideribus, præcipue planetis præscripserunt Tycho Brahe, Ricciolus S. J. Copernicus &c. Aeris æquilibrantis naturam & stupendam vim elasticam in Antlia pneumatica deprehendit Otto Guerickius, & Casparus Schottus S.J. Aquæ indolem, gravitationem, & pondus explorarunt multi nauticæ artis peritissimi, præsertim Angli & Hollandi: in fontium origine detegenda plurimum desudarunt Cabeus, Bernoullius, Mariote, Cassinus, Falckius S. J. de maris æstu reciproco, ejusque caussis præclare scripserunt Galilæus, Cartesius, Kircherus S. J. de Chales S. J. & Newtonus. Terræ absconditos thesauros, salium & mineralium virtutes, fossiliū & metallorum præstantiam detexere nobis magno numero Chymiæ & Alchymiæ periti: magnetis vero stupendam vim doctissimis commentariis illu-

strarunt de Chales S.J. Purchotius, Muschbroechius, Hugenius, Daniel Stadlerus S.J. Ignis pendus, ejusque dotes exploravit Casati S. J. ac vim urendi per specula caustica Tschirnhusius. Stupenda vero electricz, machinæ, lucem ac ignem vomentis, ac fulminantis, phœnomena detexerunt Haucksbecus & Grayus Angli, Du Fay Gallus: Joan. Gabriel Doppelmayr, Andreas Gordon O.S.B. Christian. August. Haussenius, Joan. Henricus Wincklerus. J.H. Weitzius, Christian. Gottlieb Krazensteinius, Germani. Plantarum, animalium & corporis humani anatomicam Raius, Willisius, Malpighius, Aselius, Pequetius, Hoffmanus: sanguinis in venas & arterias per orbem circuitum Harveius, & Fabri S. J. alii alia quam plurima hactenus incognita orbi palam fecere. In ipsum adeo mundum Subterraneum, ut vocant, itinere ecstatio penetravit Kircherus, & Franciscus de Lana S. J. integrum naturæ ac artis Magisterium condidit. Vix ipsa natura melius se potuisset nobis explicare, quam summi hi Viri doctissimis lucubrationibus, & solertissimis experimentis eam ante oculos posuerunt.

Quin etiam nova Philosophiæ systemata hisce temporibus in publicum prodiere. Petrus Gassendus sex libris scientiam hanc complexus Democriti ac Epicuri vestigia

& atomos secutus, horum quidem errores emendavit, novos tamen non paucos immissuit, Aristoteli ultra modum & meritum offensus: nec facile quisquam Philosophorum est hac ætate, qui ejusdem doctrinæ subscribat. Renatus Cartesius ex milite Philosophus & Mathematicus novam mundi fabricam molitus est, modesto *hypotheseos* nomine velatam, qua mire gloriati sunt ejus Asseclæ, pulchras ideas ac imaginationes Ducis sui pro veris rebus atque principiis vendentes. Acris & subtilis ingenii fuit Cartesius, aptissimique ad detegenda varia naturæ arcana: palam tamen est, cum in multis gaviter allucinatum esse, præcipue circa motum, gravitatem ac levitatem corporum, circa fluxum ac refluxum maris, circa effectuum caussas, quas nonnisi certæ figuræ, certo motui, certæque extensioni tribuebat. At nullibi magis ridiculum se præbuit Cartesius, quam dum animæ humanæ regiam sedem exstruxit in glandula cerebri, quam pinealem vocant Medici, negans illam per totum corpus diffundi, sed ex hoc velut solio in reliquas corporis partes dominari afferens. Heic, si credimus huic Philosopho, sedet reginæ instar, & regni habenas tenet, nimirum nervos sensorios, per quos spiritus vitales, qui e corde per arterias carotides ascendunt,

& dum ex aliis particulis sanguinis crassioribus sese extricantes in animales transeunt, tanquam celeres cursores ad omnes regni sui provincias quaquaversum emittrit. Mobilem esse glandulam istam vult, quo anima illam movens spiritus animales ad influendum in hos potius quam illos *musculos* determinate possit. Sed infelicem animæ Cartesianæ sortem ! dum regiam illistruit, in cisternam ignarus demissit : est enim hodie Anatomicis certum, glandulas omnes non nisi receptacula esse humorum, qui a contiguis partibus advecti secernuntur ibidem ; præcipue vero in glandulam pinealem a subjacentibus arteriis non spiritus sed serum superfluum exonerari. Quare cloacæ similior est, quam regiae sedi. Et qua ratione heic anima in reliquas partes exerceret imperium, quum uti denuo Anatomia recentior & accuratior demonstrat, neque mobilis sit hæc glandula, neque nervi, spirituum viæ, eidem implantentur ? atque ita captivæ similior heic foret anima quam Reginæ. Cætera constat, scripsisse Cartesium plura, non quæ re ipsa lensit, sed quæ seculi sui genio novorum cupido, veri specie quadam contento satisfacerent. Isaacus Newtonus aliam philosophandi viam ingressus est ; rejectis enim hypothesibus, quas alii non eadem felicitate, qua ingenii

commendatione sibi ipsis fabricarunt, ex ipsis experimentis & phœnomenis leges, quas natura operibus suis præscripsit, investigare ac eruere conatus est, mutuamque corporum in se gravitantium vim & fluxum quemdam materiæ, quo invicem se attraherent, intimeque complecterentur, præter alia nobilissima phœnomena detexit, vir a perspicacia & sublimitate ingenii maxime conspicuus; quamvis ut alii, suos quandoque manes patiatur. Nullam enim Newtonus caussam physicam virtutis attrahentis adsignat, quod tamen præcipuum Philosophi munus est: corporibus vim attrahentem simul & repellentem tribuit, ubi dum primam quasi in infinitum se porrigit docet, nullum secundæ spatium relinquit: planetas, solem v. g. & saturnum in se mutuo agere contendit, licet spatium intermedium potissimum partem sit vacuum; qua ratione actio, quam Philosophi *in distans* vocant, quamque communissime rejiciunt, evitari iane nequit &c.

§. IV.

*Philosophia Eclectica.*

L.

Inter hæc Recentiorum docta molimina,  
& ingentia novandi studia, dum inter se  
non raro dissiderent, nata tandem est, quæ

hodie regnat, Philosophia Eclectica, seu  
 quæ nullius obnoxia seu authoritati seu do-  
 ctrinæ libertatem quamdam sobriam profi-  
 tetur, optima quæque maturo consilio &  
 profunda meditatione setigendi atque sectan-  
 di, neque admittendi aliorum Philosopho-  
 rum placita, si non clare ac solide probata  
 fuerint. Hanc tum præterito, tum hodier-  
 no seculo amplexi sunt, & amplectuntur  
 viri præstantissimi Franc. Baconus de Ve-  
 rulamio, velut Antesignanus, Robertus Boy-  
 leus, Sturmius, Purchotius, Gravelandius,  
 Leibnitius, Muschenbroechius, Du  
 Hamelius, Nolletus: alii quoque e diversis  
 sacris Familiis Mersennus, Maignanus,  
 Corsinus, Fortunatus a Brixia &c. & e no-  
 stra societate Patres Fabri, Kircherus,  
 Schottus, Franc. de Lanis, Card. Prolo-  
 mæus, Regnault, Falckius, Josephus Man-  
 gold, Bartholdus Hauser, Josephus Kell,  
 Josephus Zanchi, Carolus Scherffer &c.  
 Neque defunt integræ Eruditorum Socie-  
 tates in Anglia, Gallia, Italia, Germania,  
 quæ infinitis laboribus, editisque in lucem  
 quamplurimis novis inventis Philosophiam  
 hanc, quam dixi Eclecticam, illustrare per-  
 gunt. Atque ex his hucusque de præci-  
 puorum Authorum charactere commemo-  
 ratis facilior via paret ad judicium feren-  
 dum de systematum diversitate, de metho-

do & norma tradendi hanc scientiam. Antiquo jam ævo, ut vidimus, tot pene sectæ, quot Philosophi erant: hi partim mutuis bellis semetipsos atriverunt, partim ab Aristotele, qui omnium ante se lapsus & errores diligenter notabat & refellebat, fuerunt debellati, ita ut in medio ævo fere solus scholæ suæ authoritatem arte Dialectica & methodi soliditate sustentarit, quamvis variantem, ut dixi, sèpius fortunam sit expertus. Instauratum tamen majoribus viribus est bellum ævo posteriore. Insurrexere *Cartesiani* magno numero, magnamque breve intra tempus regni Philosophici partem occuparunt: *Gassendistæ* & *Atomistæ* non minore vi corpusculis suis omnem late regionem Peripati inundarunt. *Mechanici* quoque ac *Chymici* suppetias tulierunt, suis furnis, machinis ac experimentis in publicum prolati. *Wolfiani* vocata in subsidium mathesi novam struxere methodum. *Historici* demum quidam citra omnem ratiocinationem ac disputationem conati sunt planam narratiunculis Philosophiam reddere, firmissimumque argumentationis munimentum solo æquare. Omnes, diversis tamen viis ac studiis, Philosophiam ad perfectionis apicem perducere adlaborarunt. Num autem attigerint votorum suorum ac promissorum metam, sub

judice lis est. Tot enim nova systemata, novæ opiniones, novæ methodi hisce temporibus in conspectum prodeunt, & aures circumsonant, ut sapienti plane consilio opus sit, eligere ex his ea, quæ optima, & verosimillima sunt. Unum tamen est, quod animadversione videtur egere: nimis quod scriptores illi & sectatores, de quibus primum ante memini, junctis veluti signis in Aristotelem, in Peripatum, & in Societatis nostræ scholas facundissime declament, ac si nil nisi stramen & quisquiliæ Philosophicas suis cultoribus proponerent, utramque paginam rixosis & inanibus quæstiunculis & argutiis ubique implerent, & vix ullo in pretio studium physicum ac *experimentale* haberent. Verum qui has movent quereelas sine testibus, sine tabulis, vel peregrini sunt in Peripato & scholis nostris, vel malitiosi homines, ad plausum sibi suisque mercibus inde nundinantes, ut quisque acrius in Jesuitas tanquam Aristotelis & Peripati patronos fuerit debacchatus. A seculo jam & amplius non defuerunt, qui Peripatum expurgarunt a loliis & inutilibus, quos aliqui miscuerunt, sententiis; qui amœnioris Philosophiæ placita magnis curis tradiderunt, qui plurimis novis inventis ac experimentis Physicam ditarunt. Quis ausit injuriam hanc im-

imponere summis viris, Suario, Vasquio, Comptono, Semery, Pallavicino, Toletō &c. quos reliqui velut Magistros secuti sunt, eosque nugarum, rixarum & inanitatis postulare, quando agitur de dogmatibus Philosophicis firma, solida & inconcussa doctrina illustrandis? quis dicam scripsierit Kirchero, Fabri, Schotto, de Lanis, Regnaultio, Ptolomæo, qui si non primi parentes, certe proximi adjutores fuerant illius, quæ tantopere celebratur, Physicæ practicæ, mechanicæ, experimentalis? Non dubito asserere, quod ipsem olim sedula investigatione deprehendi, scilicet ex horum libris præclarissimis Neotericos, præsertim Acatholicos, pleraque mutuasse inventa, & speciosioribus induita coloribus ac parergis quibusdam exornata in paseua Philosophiae suæ transtulisse, quæ si quisque illorum, quorum memini, Authorum sua sibi vindicaret, instar corniculæ deplumis nuda omnium conspectui pateret. Eruditis hæc loquor, & facile persuadeo: Sciolos & malevolos non curo, qui criminandi detrahendique finem nunquam facient. Longe aliud loquuntur & testantur Musea & Armaria omnis generis instrumentis ad experimenta facienda fabrefactis plena, quæ in præcipuis Academiis & Lyceis nostris per Galliam, Italiā, Germaniam

niam exstructa visuntur: testantur publicæ concertationes, in quibus coram doctissimorum hominum confessu quidquid amoenioris florentiorisque Philosophia est, in medium profertur, & sobria disputandi methodo in utramque partem excutitur.

## LI.

Quid obsecro habent Neoterici, quod adeo displiceat in Philosophia nostra? & quid, quod tantopere suam extollant cum insigni contemptu alterius? in Logica, clamant, nimium tribuitur litigiis & contentionibus, atque maturius quam oportet: Physica sterilis est, & expers recentium inventorum: in Metaphysica ordo deest: moralis Philosophia & jus naturæ primum in Theologia docetur. Sed parum provide, minus vere. Quam ita deprædicant logicam suam, si ad substantiam attendatur, a nostra vix differt, nisi quod aliis vocibus utatur, & quod parte optima, nempe argumentis formandis dissolvendisque careat. Metaphysica nostra longe præstat ea, quam ipsi tradunt, dummodo quæ ad Ontologiam & Psychologiam pertinent, ex Logica nostra majore, ac ex ea Physicæ parte, quæ de causa prima & anima agit, in Metaphysicam transferan-

ferantur. Theologia naturalis illorum ac Jus naturæ miserum est, & pro Lunæ incolis scriptum videtur, dum felicitatem ponunt nonnisi temporariam, ac *statui naturæ puræ*, ut loquimur (qui nunquam fuit, nec erit) non autem *statui naturæ elevatae*, in quo vivimus, convenientem, atque ita ad nil aptam, quam ut hominem ad speciem bonum progignat. Ethica & Politica, qua parte bona & utilia exhibet, congeries est de promta ex libris Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Senecæ ac D. Thomæ. Physica illorum talis est, quæ ab aliis inventa, quemadmodum superius dixi, sparsim colligit, & absque profundiore indagine ac ratiocinatione proponit. Nihil ex his omnibus intactum relinquunt Philosophia nostra, uti ævo isthoc traditur, sed insuper decenti ordine, clara paraphrasi, & solidis rationibus illustrat ea, quæ profert. Patent hæc & plura lustrantibus scripta & libros Nostrorum, quod tamen homines isti facere dedignantur, ne vel pravum ac temerarium judicium suum deponere, vel a præjudicata opinione, qua tot querelas falso effutiunt, discedere cogantur. Si lubet auscultare, dicam quod sentio, remque apta ut spero similitudine declarabo, quamvis hæc, uti omnis alia claudicet. Nolim enim, ut quis existimet,

stimet, me rem hanc tot diversis judiciis obnoxiam cum alia summi momenti atque certissima ex æquo comparare velle: Videlur itaque mihi Philosophiam Aristotelicam simili fato subjacere, cui Ecclesia Catholica est exposita. Nullo pene seculo defuerunt, qui ejus fidei ac morum doctrinam acerrime impugnarent, turbarent, ac novare conarentur, unde tot heres & schismata fuerunt exorta. Ut nihil dicam de Gnosticis, Valentinianis, Novatianis, Donatistis, nihil de Ario, Nestorio, Eutychete, Manichæis, Pelagianis, Iconoclastis aliisque, qui antiquiora Ecclesiæ secula funestarunt; ultimis temporibus in eam insurrexere Lutherus, Calvinus, Zwinglius &c. e quorum nido tot aliæ prodierunt sectæ, doctrina quidem dispare, sed odio in Catholicam fidem pares. Hi omnes novam sibi Ecclesiam fabricare, nova dogmata spargere cœperunt. Ita etiam Philosophiam Aristotelicam vix non omni seculo quidam Novatores acriter aggressi sunt, aliamque ab ea condere adlaborarunt: postremis præser-tim seculis, ut uberior dictum est, Cartesius, Gassendus, Atomistæ, Wolfius &c. in diversas divisi sectas illam pene funditus pessum dedere. Porro quemadmodum Ecclesiæ Catholicae hostes, dum ob errores

quos.

quosdam pravosque abusus, qui tamen fidei substantiam non attingebant, sed disciplinam duntaxat ac mores, eam se reformatum ire clamabant, re ipsa studebant penitus evertere, ita etiam Neoterici propter quorundam seu docentium seu scribentium argutas nimium, ac profundas quæstiones, inanesque quas vocant speculationes (an omnes, quas perstringunt, tales sint, heic non dispuo) Philosophiæ reformandæ manus adjiciunt, eo tamen consilio, ut fundamenta ipsa convellant, & suo in cerebro male natam superstruant. Illud tamen non inficiar, quod sicuti cæteræ hæreses aliquando ad reformandam Ecclesiam in iis, quæ ad morum disciplinam, & consuetudines quasdam pertinent, profuerunt, ita etiam Novatorum hypotheses, dogmata, & præclara alia inventa ad Philosophiam, uti nunc castigata traditur, multum contulerint. Denique quemadmodum doctrina Catholicæ Ecclesiæ, licet per tot secula & a tot hæreticis validissime oppugnata, tamen quod dogma fidei & bonos mores concernit, semper infracta stetit, nec expugnari potuit, ita etiam doctrina Aristotelica, quantum ad tinet ad Dialecticam, ad ratiocinandi leges, & Metaphysicam, & ad docendi discendique methodum tot inter adversario-

rurn

rum insidias, & detectas fraudes ac machinas ad hæc usque tempora apud saniorum hominum vete doctorum partem incolumis & invicta perstigit, reliquis fere omnibus Novatorum ætatem non feren-tibus.

Quare, ut concludam, Eclectica Philosophia præ aliis merito eligenda videtur, nimirum ea, quæ Primo pedissequa non est, sed libera, ita ut nullius in verba Magistri juret. Fieri enim non potest, ut in tanta Authorum dissensione unus semper vera, alter semper falsa doceat. Aristotelis dialectica, quæ veluti succum solidæ ratiocinationis, ad omnes quoque alias scientias acquirendas necessariæ, in se continet, omnino retinenda est: non minus Metaphysica ejusdem, quæ res a sensibus nostris abstractas explicat, & sine qua præstantissima pars hominis, nempe mens & intellectus, altiora se penetrare, immo ne quidem recte novit concipere; modo nimirum subtilitatibus & longiore in his mora sobrie abstineatur. Physica servato ordine novis inventis, naturæ phænomenis, quæ indies plura deteguntur, meteoris ac experimentis adscita in consortium Thechnologia, Statica, Hydraulic & Optica large dicitur. Ipse Aristoteles, si viveret, multa emendaret in libris suis physi-

physicis, si quæ seculo suo ignota, nostro nunc satis perspecta sunt, intueretur. *Secondo*, quæ rationi simul & experientiæ plurimum tribuit. His geminis columnis sane herculeis Philosophia nitatur oportet: experientia sine ratione velut equus sine freno per prata Philosophica vagatur; ratio sine experientia sterilis est, & expers mirabilium naturæ operum. *Tertio*, quæ nec inutilia admittit, nec quæ solide probata non sunt, recipit. Inutilia sunt, vel quæ neque ad eruditionem philosophicam, nec ad scientiam rerum naturalium pertinent, vel licet utilia sint, nonnisi per ambages, & argumentorum in contrariam partem adductorum integra plausta circumducuntur. Sunt, qui gemmam ex aurea corona perdidisse se autumant, si quæ stioneula vel minima de re proposita ipsos prætereat. Hinc coacervant has cum non modico principum quæstionum detrimen-  
to. Solide autem probata sunt, quæ aut communi Auctorum sensui suffragantur, aut rationibus convictentibus vel verosimillimis stabiliuntur, ita ut certum aut satis firmum adversus quosvis insultus fundamentum præbeat. *Quarto*, quæ methodo Aristotelica, qua melior hucusque inventa non est, scilicet clara, brevi, & solida utitur, discentium ingenio & pro-

290 Cap. X. Epicrisis super Philos. &c.  
fectui accommodata, non hispida illa, an-  
fractibus plena, & plura quam valet pro-  
mittente: quæve in disputando non clamor-  
ibus & rixis omnia implet, sed per argu-  
menta clare ac nervose proposita ad veri-  
tatem, vel saltem limina veritatis alacri-  
passu contendit. His dotibus si prædita  
sit Philosophia, quam Eclecticam dicimus,  
displícere nemini potest, plurimum autem  
emolumenti præ reliquis omnibus afferre,  
quemadmodum in bene moratis atque flo-  
rentibus Academiis & Lyceis optimus  
Magister usus docet, modo civitate do-  
natus.



INDEX



# INDEX

## RERUM ET VERBORUM

### LIBRI VIII.

L. Indicat Librum. N. Numerum Libri.

#### A.

- Academia unde sic appellata.* L. 8. N. 5.  
*Ægyptii primi Philosophiam coluisse traduntur : doctrinam suam involverunt arcanis signis & hieroglyphis.* L. 8. N. 5.  
*Aeris natura & officium : ejusdem gravitas & elasticitas, variaque experimenta.*  
L. 8. N. 23.  
*Æquilibrium solidorum & fluidorum.* L. 8.  
N. 21.  
*Æstus marinus : opiniones de eo Galilæi, Cortesii, Newtoni, Kircheri, de Chales.*  
L. 8. N. 25.  
*Ætheris indoles & officium.* L. 8. N. 23.  
*Affectiones seu passiones animi : earumque dominium.* L. 8. N. 37.

## Index Rerum

- Analytica methodus describitur.* L. 8.  
N. 44
- Angeli ab antiquis Genii seu Intelligentia dicebantur.* L. 8. N. 32.
- Eorum ordines, motus, & loquela.* L. 8.  
N. 32.
- Anima rationalis, ejusque dotes.* L. 8.  
N. 31.
- Animalium genesis, & varie species.* L. 8.  
N. 28.
- Aqua natura, color, gravitas &c.* L. 8.  
N. 25.
- Aristotelis artificium: schola Peripatetica: Philosophia moralis: ejus errores.* L. 8. N. 5. 34. 40. & 47.
- Atmosphæra aeris, & tres regiones.* L. 8.  
N. 19.
- Avicenna & Averroes, Philosophi.* L. 8.  
N. 48.

## B.

- Bœtius (Severinus) primus Aristotelis libros in latinum sermonem translulit.* L. 8. N. 48.
- Bruta non esse mera automata contra Cartesianos ostenditur.* L. 8. N. 28.

## C. Caje.

Et Verborum Lib. VIII.

C.

- Cajetani* (*Cardin.*) *effatum* : *circulus & calamus me doctum fecerunt.* L. 8.  
N. 41.
- Cassini* *nova experimenta in cælestibus.* L. 8.  
N. 49.
- Cartesius* (*Renatus*) *novum mundi sistema excogitavit* : *eiusdem errores.* L. 8.  
N. 11. & 21.
- Characteres veterum Philosophorum.* L. 8.  
N. 7.
- Cometarum genesis* : *variae de iis opiniones.* L. 8. N. 22.
- Commercium inter animam & corpus.* L. 8. N. 31.
- Copernici* (*Nicolai*) *systema de terræ motu.* L. 8. N. 19.
- Corporis humani æconomia* : *eius regiones ac partes.* L. 8. N. 29.
- Cusani* (*Nicolai*) *Cardin. doctrina de terræ motu circa solem.* L. 8. N. 19.
- Cynica Philosophia auctore Diogene Cynico & Crate Thebano.* L. 8. N. 7.

D.

- Deorum multitudinem Socrates, Plato, Cicero, Aristoteles & Plinius explose- runt.* L. 8. N. 2.

Index Rerum

- Dei attributa explicantur.* L. 8. N. 33.  
*Dialectica necessaria ad alias scientias.* L. 8. N. 2.  
*Dialectici insignes.* L. 8. N. 9.  
*Dictatio an præferenda prælectioni in scho-  
lis maxime philosophicis, disputatur in  
utramque partem.* L. 8. N. 42.  
*Disputationis necessitas in scholis philoso-  
phicis: futilis contra illam querelæ:  
eius vitia.* L. 8. N. 41.  
*Dogmata Philosophiæ Cynicæ, Stoicæ,  
Scepticæ, Eclecticæ.* L. 8. N. 7.

E.

- Eclectica seu Electiva Philosophia auctore  
Potamone Alexandrino.* L. 8. N. 7.  
*Eleaticam Philosophiam quinam amplexi  
sint.* L. 8. N. 5.  
*Electricitas corporum, ejusque phænomena.* L. 8. N. 21.  
*Elementa quatuor, eorumque indoles.* L. 8.  
N. 19.  
*Epicurei in voluptatibus summum bonum  
constituerunt.* L. 8. N. 34.  
*Ethica seu Monastica docet, in quo sum-  
mum bonum, & ultimus finis consistat.* L. 8. N. 36.  
Existen-

## E<sup>g</sup> Verborum Lib. VIII.

*Existentia Dei demonstratur.* L. 8. N. 33.  
*Experimenta nova circa elementa & plan-*  
*tas cum auctoribus suis recensentur.* L. 8.  
N. 19.

## F.

*Fabri (Honorati) S. J. Systema de pri-*  
*mis corporis principiis.* L. 8. N. 21.  
*Figura telluris sphæroidica.* L. 8. N. 48.  
*Fluminum origo & circuitus.* L. 8. N. 19.  
    & 25.  
*de Fontium origine variae opiniones.* L. 8.  
    N. 25.  
*Fulguris & Fulminis genesis, & virtus.*  
L. 8. N. 24.

## G.

*Galilæi nova experimenta in cœlestibus.*  
L. 8. N. 49.  
*Gassendus (Petrus) Epicuri & Democri-*  
*ti systema excitat.* L. 8. N. 11. & 21.  
*Gustaphus Adolphus proscriptit e regno suo*  
*Logicam & Metaphysicam.* L. 8. N. 3.

## I.

*Ignis natura, & caussæ generationis &*  
*corruptionis, atque locus.* L. 8. N. 24.  
T 4

In-

## Index Rerum

- Ingeniorum diversitas in rebus philosophicis.* L. 8. N. 16.  
*Ingenia betevoclita: Lullus, Cardanus, & Paracelsus.* L. 8. N. 10.  
*Insectorum species diversissimæ.* L. 8. N. 28.  
*Jonica Philosophia, ejusque principes.* L. 8. N. 5.  
*Italica Philosophia, ejusque principes.* L. 8. N. 5.

## L.

- Libertas humana ad bonum & malum.* L. 8.  
N. 37.  
*Liquorum & Liquidorum gravitas.* L. 8.  
N. 25.  
*Logica est instrumentum ad omnes scientias.* L. 8. N. 15.  
*Ejus divisio, & vis in intellectum.* L. 8.  
N. 15. & 16.  
*de Lunicolis fabula.* L. 8. N. 20.

## M.

- Maffejus (Scipio) insigne elogium scribit Philosophiae Aristotelicæ.* L. 8. N. 48.  
*Magnetis indoles & virtus.* L. 8. N. 26.

Meta-

Et Verborum Lib. VIII.

*Metaphysica entis cognitionem & doctrinam complectitur.* L. 8. N. 30.

*Methodi Syllogisticae artificium ab Aristotele excogitatum commendatur.* L. 8. N. 15.

*Methodus Wolfii in philosophicis rejicitur multas & graves ob caussas.* L. 8. N. 46.

*Methodi dotes tres : perspicuitas, brevitas & soliditas.* L. 8. N. 44.

*Methodus Scholastica & Mathematica expenditur.* L. 8. N. 45. & 46.

*Mineralia terrae triplicis classis recensentur.* L. 8. N. 26.

*Moralis Philosophia exulta a Platone, corrupta a Protagora & Diogene, expurgata ab erroribus per doctrinam Christi.* L. 8. N. 34. & 35.

*Moses ante Aegyptios & Gracos Philosophiam tradidit : Ejus Philosophia elegans in libro Genesiz.* L. 8. N. 6.

*Hæc ab Hebrais ad Chaldaeos, Aegyptios & Gracos transit.* L. 8. N. 6.

*Mundi divisio in subterraneum, sublunarrem, & cœlestem.* L. 8. N. 18.

*Singulorum descriptio.* L. 8. N. 18. 19. & 20.

*Mundi systemata : Ptolomaicum, Copernicanum, & Tychonicum.* L. 8. N. 22.

## *Index Rerum*

*Mundus elementaris artificiosus.* L. 8.  
N. 24.

## N.

*Newtonus profundus Philosophus.* L. 8.  
N. 11.

*Novitas non omnis est rejicienda.* L. 8.  
N. 40.

*Multa detecta temporum traectu fuisse exemplis ostenditur.* L. 8. N. 40.

*Nutritionis historia in corpore humano.*  
L. 8. N. 29.

## O.

*Oeconomica docet officia mutua inter Conjuges, inter liberos & parentes, inter servos & heros.* L. 8. N. 38.

## P.

*Patres studuerunt philosophiae ad refellendos gentiles philosophos.* L. 8. N. 9.

*Philolaus Pythagoricus solem stare, & terram circumire primus docuit.* L. 8.  
N. 19.

*Philosophiae pretium & necessitas.* L. 8.  
N. 1. & 2.  
*Philo-*

Et Verborum Lib. VIII.

*Philosophiae & Philosophorum nomen unde originem traxerit.* L. 8. N. 4. & 5.

*Philosophorum veterum tres sectæ : Jonica, Italica, & Eleatica.* L. 8. N. 5.

*Philosophia post Platonem & Aristotelem degeneravit ob invidiam, & superbiam Philosophorum.* L. 8. N. 7.

*Philosophiae Etnicæ falsa dogmata & errores : ab hac non pauci fidelium decepti sunt.* L. 8. N. 9.

*Philosophi Christiani veteres recensentur.* L. 8. N. 9.

*Philosophiam novam constrarunt Lullus cymicam, Cardanus cabalisticam, Paracelsus mechanicam.* L. 8. N. 10.

*Philosophia experimentalis condita seculo XVI. circa medium in Italia, Germania, & Belgio.* L. 8. N. 11.

*Recensentur illius Auctores præcipui.* L. 8. N. 11.

*Philosophiae veteris partitio in naturalem, moralem, & dialecticam.* L. 8. N. 13.

Ejus-

## Index Rerum

- Ejusdem partitio recentior in Logicam,  
Physicam, Metaphysicam, & Ethicam. L. 8. N. 13.
- Neotericae divisio in varias species. L. 8.  
N. 14.
- Philosophi Morales ethnici exterius solum  
virtutem & honestatem colebant. L. 8.  
N. 37.
- Philosophia antiqua praestantes in omnibus  
scientiis viros genuit. L. 8. N. 40.
- Philosophiae prima periodus sub Thalete,  
Pythagora, Socrate, Platone, Aristotele.  
L. 8. N. 47.
- Secunda periodus, & varia illius sors.  
L. 8. N. 48.
- Tertia periodus amoenioris Philosophiae.  
L. 8. N. 49.
- Quarta periodus, seu Philosophia Eclectica : quinam banc maxime excoluerint.  
L. 8. N. 50.
- Eius quatuor dotes. L. 8. N. 51.
- Physicae experimentalis incrementum ulti-  
mis duobus seculis. L. 8. N. 12.

Et Verborum Lib. VIII.

Pici Mirandulani judicium de disputande  
norma. L. 8. N. 41.

Plantarum origo, nutritio, propagatio,  
virtutes, & anatomia. L. 8. N. 27.

Platonis Academia & doctrina. L. 8.  
N. 47.

Plato pro Ethicæ fundamento posuit im-  
mortalitatem animæ. L. 8. N. 34.

Porphyrii quinque universalia. L. 8.  
N. 30.

Ptolomæi Cardin. sensus de methodo geome-  
trica. L. 8. N. 46.

Pyrrho Philosophus de omnibus dubitavit.  
L. 8. N. 7.

Pythagoras instituit Philosophiam Itali-  
cam: ejus methodus philosophandi. L. 8.  
N. 5.

Multa invenit ope Geometriæ: metem-  
psichosin docuit. L. 8. N. 47.

R.

Rationis usus in philosophia stabilitur.  
L. 8. N. 21.

Regula

# Index Rerum

- Regula prima & proxima humanarum  
actionum.* L. 8. N. 37.  
*Respirationis humanæ negotium.* L. 8.  
N. 29.  
*Romani Athenas profecti philosophiæ operam  
dederunt.* L. 8. N. 8.

## S.

- Salomon petiit a Deo scientiam philosophi-  
cam.* L. 8. N. 3.  
*Sanguinis circulatio describitur.* L. 8.  
N. 29.  
*Sceptica Philosophia auctore Pyrrhone.* L. 8.  
N. 7.  
*Scheinerus (Christophorus) S. J. maculas  
solis primus detexit.* L. 8. N. 49.  
*Scriptores Philosophiæ recentioris.* L. 8.  
N. 50.  
*Sidera fixa, & errantia: eorum nume-  
rus, motus, & asterismi.* L. 8. N. 20.  
*Sinenses habent præfectos novitatum, quo-  
rum munus est denunciare, si quid no-  
vetur in regno.* L. 8. N. 40.

*Socra-*

Et Verborum Lib. VIII.

Socrates Philosophiam e cælo devocavit, ut  
ait Cicero. L. 8. N. 47.

Stili ratio in philosophicis observanda.  
L. 8. N. 43.

Stoica Philosophia antesignano Zenone. L. 8.  
N. 7.

Systemata varia recentioris Philosophia. L. 8. N. 49.

T.

Temperies grata inter Philosophiam novam  
& veterem. L. 8. N. 40.

Terræ figura, de qua multa commenti sunt  
veteres & recentiores Philosophi. L. 8.  
N. 19.

Terræ motus origo & vis. L. 8. N. 26.

D. Thomas optime Aristotelem interpre-  
tatus est, ejusque doctrinam instauravit.  
L. 8. N. 10.

V.

Vapores quid sint, & unde proveniant.  
L. 8. N. 23.

Ven-

*Index Rerum & Verb. Lib. VIII.*

- Ventorum origo & vis.* L. 8. N. 26.  
*Voluntarium & liberum explicatur.* L. 8.  
N. 37.

**W.**

- Wolfius novam metbodium, nēmpe geometricam in Philosophiam induxit minus felicē successū.* L. 8. N. 12. & 46.


**X.**


- Xenophanes Philosophiam Eleaticam instituit.* L. 8. N. 5.

**Z.**

- Zeno Philosophus virtutes falsas proposuit.* L. 8. N. 7.









卷之三

周易傳說彙纂

卷之三